






KEMPIUS
DE
SITU FRIS









Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
3538/A







DE ORIGINE, SITV, QVALITATE ET QVANTITATE FRISIAE, ET REBVS A FRISIIS olim præclarè gestis,

LIBRI TRES:

IN QVIBVS MVLTA SCITV digna, & hactenus incognita, tum ex patriæ annalibus, partim excusis, partim manudescriptis, tum etiam ex probatis exterarum gentium historijs vigilanti cura, diligentiq; studio eruta, proponuntur.

AVTHORE M. CORNELIO KEMPIO Docoemiensi Frisio.



COLONIAE AGRIPPINAE
Excudebat Gosvinvs Cholinvs,
Anno M. D. LXXXVIII.

CANDIDO LECTORI
CORNELIVS KEMPIVS
S. D.

Quisquis Frisonicos casus, & fortia facta,
Quæque vel oceano proxima, scire cupis:
Gentis & inuictæ, quæ libertatis origo,
Qui mores, quisnam relligionis amor;
Hos voluas libros, monumenta hæc fide nepotum,
Pectore quæ prompto, Lector amice, damus.
Paucula sunt (fateor) nostrorum hæc scripta laborum:
Sed recreant animos integritate sua.
Multa tibi referent veteris vestigia secli,
Quæque secuta leges, quæque geruntur, habes.
Sunt quos delectant studia hæc mea, suntque malignè
Artes detrectant turpiter ingenuas.
Sæpe solet Momus, mordaci tinctus aceto,
Carpere laudatos, ridet & immeritos.
Attamen haud timeo, cape quæ meditatio nuper,
Otia quæque modò fortè dedêre mea.
Non speciosa quidem, cum sint ex tempore fusa,
Sed quæ sunt animi candida signa mei.
Vtere quæsitis, lacerare meosque labores
Desine, vel promas nitida, grata, magis.

AMPLISSIMO, ORNATISSIMO, PRVDENTISSIMOQVE SENATVI INCLItæ vrbis Groningæ, Cornelius Kempis S. P.



VM nuper exactius mecum, neq; id sine magno animi dolore, perpenderem, Viri grauissimi atq; prudentißimi, illud Comici Terentiani, rerum humanarum esse vicißitudinem, fluxāq; humani Imperij gloriā;

Sæpe meam, fateor, tenet admiratio mentem,
Nec semel hæc animo nosse cupido fuit;

Quomodo antiquißimū illud Frisiæ Regnum, à Rheni ostio versus orientē trans Albim fluuium, longissimo tractu per littus Oceani septentrionalis, in ipsam vsq; Iuthiam siue inferiorem Daniam extensum, nūc in tam varias prouincias, vel, vt patrio more loquar, Zelandias, redactum, distractum, diuisum, & separatum sit, vt non modò antiquißimū nomen in multis partibus amiserit, sed etiā nulla penè vestigia antiquæ formæ in eo reperiri poßint. Commemorat Ptolomæus multarum suo tempore per Germaniam vrbium, fluuiorum, & prouinciarum nomina, quarum hodie penè nulla extant vestigia, imò nec locus earum à quopiam demonstrari poßit, si quis eas adeò quærere velit: cum nomina omnia diuturnitate temporis sint immutata,

 vel

vel vrbes varijs bellorum atq; calamitatum insulti-
bus à sublimi statu, ad imum deuastatæ, & miserrim
pessundatæ: fluuiorumq; ripæ, procellis vndarum au
inundationibus aquarum variatæ, aut aluei, intempe
stuosis alluuionibus translati & mutati sint. Quas vi
cißitudines atq; mutationes ex vindicta Dei conti
gisse, nemini dubium est: cum secula nutu vnicæ Ma
iestatis decurrant, qui pro suo arbitrio omnia mala i
regna immittit, nihilq; firmum ac perpetuum in re
bus humanis esse sinit, quod non sit varijs alterationi
bus atq; mutationibus obnoxium, iuxta Danielis di
ctum: Dominus transfert & stabilit Imperia: Qua
dicat, nihil perpetuum & sui semper simile inueniri
Nam ea, quæ magnis auspicijs sunt orta, longisq; suc
ceßibus aucta, & ad rerum fastigia summa ope eue
cta, armis legibusq; constabilita, repentino tamen in
terim casui & alterationi sunt subiecta. Quod qui
dem Africanus ille Scipio non ignorasse videtur, qu
cum Carthaginem, potentißimam Romani Imper
æmulam, deleri atq; inflammari videret, fleuisse dici
tur, quasi præsagiret, nullum imperium, ac ne Roma
num quidem esse perpetuum, neque humanis viribu
aut consilijs conseruari, aut retineri posse. Ingenuè fa
teor, Romanos olim pacis belliq; artibus, longè omni
amplißimum sibi peperisse imperium, verum antiqu
illam Imperij gloriam, & potentißimam Monarchi
am factionibus intestinis, dißidiorumq; voraginibu
ac prauis studijs eosdem amisisse, comperio. Habui
Monarchia Assyriorum memoriam peruetustam, fui
am

amplißima, viguitq́ plurimos annos, sed subiecta mutabilitati, tandem corruit. Itaq; & antiqua amplißimi Regni Frisiæ gloria & maiestas, domestica (proh dolor) seditione & ciuili bello, funestisq́ factionibus & intestinis quorundam Procerum, ac seditiosorum hominum contentionibus adeo cõmutata, conuulsa, attenuata est, vt vix vlla vestigia antiquæ vetustatis & amplitudinis in ea appareant: iuxta illud apud Salustium Regis Persarum dictum, qui moriturus filijs suis; Ego vobis (inquit) Regnum relinquo firmum, si concordes permanseritis, eritis validi & inuicti: sin autem discordes, & seditione inter vos distrahemini, imbecillum & expugnatu facile vestrũ erit Regnum. Sublato enim iusto Regum imperio, quod ad Carolum Magnum vsq; durauerat, violataq́ Potestatum æquißima gubernatione, quam Carolus Magnus constituerat, succeßit horrenda illa Anarchia, quam etiam nunc rebellia tempora vocamus, quod omnes omnibus tunc rebelles essent, nemo alteri parêre vellet. In hoc enim perplexo rerum statu Frisij pro æmulatione Imperij inter se implacabili odio ita contendebant, & bello exitiabili se inuicem exagitabant, vt non concederent quemquam in eodẽ pago secum habitare, qui alterius esset factionis: Neque in symposijs & diuersorijs quemquam secum conuiuari, aut compotare, nisi qui suas partes tuerentur; & semper pars validior aliam expellebat. Quò enim quis plus potentiæ obtinebat, hoc plus iuris se habere putabat. Adeoq́ hæc mali labes per totam

Frisiam ita est propagata, vt passim quisq; ex rap vineret, resq; alienas absq; discrimine inuaderet, c de, incendio, cruore, atq; luctu omnia compleret: bo à malis, & moderati à vehementioribus vbiq; opp mebantur, vrbes & pagi miserrimè deuastabantu Monasteria & ædes sacræ prophanabantur, temp incastelabantur, nobilissima quæq; ædificia, arces ædes nobilium euertebantur, aut incendio consum bantur, magisq; latrocinio, quàm bello omnia consi re, videbātur. Vt de ijs quis iustè exclamare potuer

O Frisij, Frisij, quò vos discordia duxit.

Et dum quisq; sibi, & parti suæ factam iniuria vlcisceretur, tot videbantur domini, quod erant pag atq; in eam plerumq; ætatem gladios distrinxerin cui immanissimus quisq; barbarus pepercisset. Cr uitq; indies ea ciuilis controuersia, vsq; ad præsentis mam totius Reipub. Frisiorum perniciem. Cùm eni vires suas defendendæ Frisiæ simul impendere debu issent, vulneribus eam inter se absumpserunt. Vt rect dixeris:

Magni tum motus, passim ciuilia bella
 Inter cognatos, credite, semper erant.
Principis officium permulti ambire solebant,
 Sanguis Christiadum funditur hinc miserè.
Nobile tunc regnum Frisiorum debilitatum,
 Virtus ipsorum, tum lacerata fuit.

In quo perturbato rerum statu, Frisia (quæ ant alias nationes, legibus antiquis, & libertate apprim

vigere, & sub vnius Regis imperio aut potestatis gubernatione regi solebat) tot tristes transmutationes, & rerum vicißitudines passa, à peregrinis dominis, & vicinis principibus vndiq; bellis impetita & vexata, succeßiuisq; temporibus infelici Marte adeò attenuata, conuulsa, & attrita est, vt nullum in mundo regnum fuisse arbitrer, quod à sua origine magis defecerit, ac Frisia. Dum enim quisq; cæteris præstare concupisceret, æquitas minimè seruabatur, neque amicitiam colere poterant, vt nemo facile queat immedicabiles illas mutationes, ac rerum vicißitudines omnes enarrare. Verum tamen hinc appareat fuisse illud Salustij dictum: Concordia res paruæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Sic enim tandem Frisia ex Regno, in multas ac diuersas prouincias, distracta, diuisa & separata est. Quarum vicini Principes, maxime Hollandiæ Comites, partem occidentalem, quā suæ ditioni sciebant esse proximam, sibi subiecerunt, partem verò ad orientem Amasis trans Albim sitam, Reges Daniæ & Duces Saxoniæ, nec non Episcopi Bremenses, Ostfrisiæ atq; Oldenburgiæ Comites, armis subiugarunt, & suis adiecerunt ditionibus. Siquidem Principes cum animaduerterent Frisiam factionibus Procerum esse discissam & conuulsam, eamq; esse terram optimam, bene cultam & fertilem, eorumq; ditionibus commodam, cœperunt Frisiæ inhiare, & eorum libertati inuidere, arbitrantes, non debere populum tam dissolutè absq; Principe viuere, atq; quotidianis grassationibus inter se implacabili odio

latrocinari. Animo voluebant, quomodo possent quisque suum extendere principatum, non cessabant intestinos illos motus Frisiorum incitare, donec partem aliquam seditione conuulsam, & intestinis odijs labefactatam, subderent. Atque tandem post multas fortunæ procellas, durissimosque casus, quibus sursum deorsumque iactitata erat, paulatim nunc partem vnam, nunc aliã tandemque totã, sed diuersis temporibus, subiecerunt. Quia indomitus populus, non vnum sequebatur imperium, sed in suo quisque angulo viribus & opibus potentior, dominium affectabat, vt verissimè in Frisia ranæ murisque fabula Aesopica impleta sit, qui cum se inuicem morderent, præda miluij facti sunt. Si enim tota & vniuersa Frisia sanctam inter se seruassent societatem, & sub vnius Ducis imperio vires suas per totam Frisiam in vnum contraxissent, omnium gentium multo validissimi & potentissimi fuissent, domesticoque præsidio freti coniunctis viribus, exteros omnes Principes facile ex Frisia pepulissent & auertissent. Hinc est, quod ego meæ maiorumque meorum Patriæ commotus amore, rem perutilem me facturum existimauerim, si originem, mores, consuetudines, ritus & diuisiones Zelandiarum antiqui regni Frisiæ, necnon nonnulla facta præclara Frisiorum antiquorum, resque gestas, tam domi quàm foris, memoratu dignas, pro ingenioli mei tenuitate commemorare, atque posteritatis notitiæ tradere possem: in eorum videlicet laudem, qui Frisiæ regnum diuersis ætatibus, manu, lingua, plerique etiam sanguinis effusione, illustrarunt.

Et

Et si quæ alia fragmenta antiquitatis memoranda occurrerint, fideliter contexerem, atq; in vnum fasciculum studiose colligerem, quæ ad immortalem gloriam Patriæ nostræ vllo modo pertinere visa sunt, ne res actæ, cum tempore interirent, vel à memoria hominum recederent. Et ea potißimum, quæ in prima hominum ætate, à senibus admiratione digna, vsquam gesta, recitari audiui; & etiam quæ à doctis, probatisq; authoribus in lucem traducta, aut in annalibus Frisiorum, patrio idiomate conscriptis, relicta comperi. Quamuis sperem non fore quemquam tam indiscretum, vt arbitretur omnes vel minimas rerum mutationes illorum temporum descriptas esse, quum omnia non reperiantur in annalibus prodita, aut scriptorum diligentia posteritati commendata: Nam veteres scriptores, vix tantam habuerunt curam Frisiæ, vt quicquam exactè posteris de ea relinquerent, sed quasi regionem quandam extra orbem sitam esse rati, parcißimè de Frisia locuti sunt. Itaq; non minimum laborem me suscipere in scribenda Frisiæ antiquitate, ipsa rerum exigit materia, cum humilior hæc mea scribendi sit ratio, quàm vt omnibus respondere queam. Agnosco enim mearum virium imbecillitatem, et cum de meipso censuram ago, sentio me laborem suscepisse viribus meis imparem, vt his meis lucubrationibus non satisfaciam politißimis quorundam auribus. Vicit tamen iter durum pietas, quam & patriæ debeo & amicis, iuxta illud:

Et pius est patriæ facta referre labor.

Eo ergo animo, iam multis annis hisce nænijs insudaui, vt scriptoribus doctioribus solummodo velut memoriæ adminiculum præberem, vt & ipsi maiori vena, & dictionis flore, aliquid magis elaboratum edant, quò maiorum nostrorum preclara facta, non omnino periculo obliuionis labascerent. Quæ cum ex Annalibus Frisiæ & Hollandiæ vulgari idiomate conscriptis, in latinum idioma conuertissem, (temperaneo tamen stylo & indocto) non verbum è verbo, sed latius nonnunquam contractiúsue rem explicui, iuxta Horatium:

Non verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres.

Aliaq; ex historiarum monumentis, aut scriptis, priuato vsui annotaui, incompto humiliq; stylo ad vmbilicum perduxi, quædamq; si ubi commodius visum est, commutaui, atq; vndiq; grauissimis vigilijs in hunc ordinem per certa capita in tres libros redegi, vt eorum esset paratior vsus. Quorum primus continet situm, originem, mores & qualitates antiquæ Frisiæ: Secundus verò, diuisiones & partitiones Zelandiarum Frisiæ: & Tertius, bella cruenta ab illis pro retinenda ethnica superstitione & antiqua libertate, gesta. Quæ cum aliquandiu apud me detinerem, ac animo mecum volutarem, cui ea secundum veterem consuetudinem potissimum dedicarem, Vos mihi protinus Viri grauissimi atq; prudētissimi, occurrebatis, dignissimi, quibus has nostras qualescumq; lucubrationes consecrarem. Multis ad id motus sum rationi-

sionibus. Primò siquidem, cum vrbs Groninga (in qua Maiores vestri semper cum magna nominis sui gloria, fascibus consularibus fulserunt) sit vetustate, situ loci, atque ædium tam priuatarum quàm publicarum, antiquitate, & magnificentia præ omnibus Frisiæ ciuitatibus commendata, & temporibus Titi & Vespasiani circa annum Christi saluatoris, 77. (teste Cornelio Tacito) Romanis admodum nota, vbi inquit; Gruines esse populos inferioris Germaniæ. Quãuis annales Frisiæ asserunt, Groningam multo prius & ante tempora Christi fuisse habitatam, nomenclaturamque sumpsisse à quodam Grunone Troiano, Regis Antenoris fratre, trecentos septuaginta septem ante natum Christum annos, eumque hoc loco arcem primo construxisse, & à sese nomen indidisse Gronenburch. Quod aliquam similitudinẽ habere videtur, cum adhuc vestigia speciem alicuius antiquitatis referentia, in eo loco cernantur. Et iuxta Ptolomæum, quarta tabula Europeæ, & lib. 2. Geographiæ, cap. 11. nuncupari videatur Phileum. Dicit enim in Frisia situm esse Phileum, inter Amasum ad orientem & Vidrum siue Isulam fluuios ad occidentem. Quod etiam ex eo probari potest, quod antiquitus id fuit peculiare, vt deuictis prouincijs aut vrbibus, suppresserint prisca nomina, & alia recentiã nomina indiderint. Vnde fieri potuit, vt Gruno constructa arce Grunenborch, suppresserit nomen Phileum, ac tandem hostium incursione, deuastata arce, nomen Phileum abolitum sit, & à Grunenburch, Groningen denominationem retinuerit,

nuerit, licet multorum hominum opinione, à viren Parochia, quod Frisonica lingua ex composito voca bulo, Grocu & gha/parochiā sonat, nomen sumpsi se, non absq; ratione, asserant. Omnium tamen docti rum consensu vrbs Groninga vetustate commenda ta meritò alijs Frisiæ ciuitatibus encomio præferatu vt ob eminentiam, sui totius Frisiæ Metropolis & Ri galis appelletur, quæ sic successiuis temporibus opib & populis clara facta, in vrbem euasit, prout in de scriptione vrbis Groningæ latius declarabitur. In qu vrbe, Deus Opt. Max. Vos, hoc genere & familia, e his maioribus & parentibus, nasci voluit, quorum progenies ex antiquis patricijs in catalogo Procerum huius vrbis semper numerata, Rempub. hanc mult retrò seculis iustitiæ legibus municipalibus & pleb scitis moderati sunt, atq; tam bellorum quàm pac tempore enixè laborarunt, vt conseruarent liberta tem & concordiam, omnemq; operam nauarunt, qu non solum partem aliquam Frisiæ, huius vrbis dition accommodam, sed etiam totam Frisiam occiduam huius florentissimæ vrbis imperio subijcerent. Tum tè poris florentissima erat Resp. cumulata opibus & in stitutis antiquis, vt totius Frisiæ Metropolis meritò di ci meruerit, atq; ante omnes ciuitates felicitate re fulserit, imperiumq; magnum habuerit in Frisios oc ciduos, quos virtute & auspicio subegerant. Null tum temporis vrbs cum Groninga fuit conferenda neq; celebrior, aut legibus aut priuilegijs antiquis or natior, extare potuit. Tum temporis Maiores vestri

nta fortitudine, tantaq; virtute præditi erant, vt
mnes vnanimiter non dubitarent quæuis vitæ pe-
icula pro Catholica religione, et cõmuni salute Rei-
ub. subire, atq; è vestigio potius mori, quàm vel latũ
nguem ab auita religione (quam à temporibus Ca-
oli Magni, quum primum ab idololatria ad fidem
Christi à viris Apostolicis, sanctitate & martyrio
pectabilibus fuerunt conuersi, & à sanctis maioribus
uis, quasi per manus traditam, acceperant) se distra-
i atq; diuelli paterentur. Sed horum temporum fa-
alis rabies cum non vni alicui ciuitati aut prouin-
iæ, sed toti pene Europæ perniciem minitetur, alijs fa
ultas, alijs voluntas ad resistendum defuit, vobis
promptam semper fuisse voluntatem, præsens euentus
iquidò testatur. Itaq; cum Vos maiorum vestrorum
audatissimis vestigijs pro virili vestra fortiter insi-
tatis Viri amplissimi, mihi sanè dignissimi esse vide-
amini, quibus has meas lucubrationes ceu patronis
ptimè de me meritis, & præ cæteris mortalibus mihi
colendis, consecrarem. Itaq; peto à vobis, Viri amplis-
simi atq; præclarissimi, vt hunc meum laborem, atq;
meæ Patriæ sempiternam memoriam, pro vestra er-
ga communem nostræ patriæ beneuolentiam, grato
suscipiatis animo, quò priscorum Frisiorum, & maio-
rum vestrorum memoriam, ab interitu vindice-
mus: quum vetustissima consuetudine dictum sit, pa-
tronum solere causam aliquando præbere inuigilandi
honestis studijs: & si quandoq; à grauissimis negotio-
rum vndis, quibus indies obruimini, vacui temporis
quid

quid concedetur, legatis, quorum lectionem non in-
iucundam Vobis fore, mihi planè persuasum habeo:
tum propter rei nouitatem, quæ allicit plurimum ad
legendum, et suaue sit meditationis oblectamentum,
de veterum haustu, noua quædam eructari: tum quod
exteræ nationes, res Fristorū incognitas & præclara
Maiorum vestrorum facta, ex eo cognoscant. Quod
si autem Vestræ prudentiæ non omninò, prout debui,
his meis vigilijs & laboribus satisfecerim, pro Ve-
stra prudentia id faciatis, quod Vergilius factitasse
legitur; aurum de stercore eruite; memineritisq́,
neminem mortalium ita vnquam absolutè scripsis-
se, vt non aliquando humani aliquid pateretur. in
nullo enim labi, aut errare, magis angelicum, quàm
humanum esset. Scio autem multos vaniloquentes
sibi multum asscribere, qui mox cum vel modicum le-
gere inceperint, stomachantes frontem contrahent,
& magno flatu hæc quasi figmenta carpent, & se hi-
storias varias pernoscere, & antiquitates habere glo-
rientur, arbitrantes, si vel optimè factis aliorum alla-
trent, lacerent, atq; linguam maledicam efferant, se
bellicum quid cecinisse. Iudices temerarij nihil amari
assolent, nisi suis moribus accommodum: quos equidē
omnes facile contemno, modò Vobis ipse non displi-
ceam, ac velim sane istos aliquid magis elaboratum
proferre, antequam conatus nostros carpant. Cur e-
nim odia detractatorum & æmulorum metuam, cum
Vestro refugio fulciar? Dicar enim pro patria præsti-
tisse, quod potui, non quod volui, præstiturus certè ma-
ior

ra si potuissem. Si enim vulgo videmus eos magnis gloriæ titulis insigniri, qui, si quando opus fuerit & incidat necessitas, patriam defendere vitæ suæ periculo sunt parati: quanto magis honorabitur, qui pro publica vtilitate multos annos vltro insudauerit, & suum genium defraudauerit. Valete Domini obseruandissimi, multūq; colendi, quos Dominus noster Iesus Christus in viam suam rectam dirigere. & ad nominis sui gloriā felici Rerumpub. gubernatione quàm diutissimè, quietè & pacificè tueri, conseruare, & protegere dignetur, suaq; inexhausta bonitate, seditiones omnes à Vobis, & Repub. vestra, velit auertere, vt omnia ad tranquillitatem, iustitiam, & honestatem decenter, in Catholica religione gubernare possitis. Quibus me commendatū, & in album vestrorum clientum conscribi, cupio. Datum Groningæ, è Musæo nostro, 21. Octobris. Anno 1586.

Ad

PRAEFATIO AD LECTOREM.



Vamuis antiquitus(Lector candidi
ſime) vix vllis tanta diligentia,ſolic
tudo,atq; cura fuiſſe videatur in Fri
ſia,vt quicquam rerum præclarè g
ſtarum poſteris exactè traderent, au
literis mandarent: tamen fuêre ali
qui viri præclari, qui tam natura duce, quàm ali
rationibus permoti, de Friſia mentionem quan
dam fecerint ; ſed parcè admodum & obſcu
de ea locuti, plerique non vera ſcripſerunt; ſuis ta
men lucubrationibus commeruerunt, vt eorum
memoriam conſequentes excipiant anni. Itaque d
re literaria bene meriti videntur, qui poſt multo
animi labores, aliquot à ſtudiis & laboribus dies va
cationum inſtituêre, quibus poſtpoſitis aliis nego
tiis,patriæ inuigilent,vt rectè factorum ſuorum ma
iorum gloriam, in lucem proferant. Nam ſi ab ant
ceſſoribus noſtris , vel paulo ſuperioris memori
hominibus,ea omnia calamo excepta fuiſſent , qu
in Friſia præclarè geſta fuerunt,abſque dubio , plu
lucis,minuſq; vanitatis,in hiſtoria rerum antiquita
tum Friſiorum haberemus,quę veritate captata,ma
gis aſſequi potuiſſemus.Ex quo conſtat multa egre
gia Friſiorum facta , clara perennique memoria di
gna,ſcriptorum penuria in obſcuro manſiſſe,atqu
in æternam obliuionis noctem abiuiſſe. Maiores e
nim noſtri magis quærebant fortiter facere, quàm
aut doctè loqui,aut eruditè ad memoriam poſtero
rum aliquid tradere. Multi ergo præclari viri auid
à me expetiuerunt, vt ego nonnulla Friſiorum præ
clara facta, originem, mores, ſitus, ritus & qualita
tes,diuiſioneſque Zelandiarum (quæ priuato vſui
multis annis annotaueram) in vnum faſciculum
loco externi pignoris colligere, atque poſteritati
memoriæ tradere,dataq; opportunitate prælo com

men

mendare vellem. Sed cum multis variisque præpeditus fuerim negotiis, diuque iam à politioribus studiis feriatus, periculosum existimarem tam grande saxum voluere, atq; huic grauissino labori me committere, quum nusquam Frisia rerum præclarè gestarum historiam habet publicatam; eò mihi magis arduum, vel factu difficile æstimabam, rem aggredi fere desperatissimam, ab huiusmodi scribendi proposito primo totus abhorrebam, diuque hæsitabam, atque quodammodo quasi inuita Minerua, manum ad scribendum applicabam, ne si tam inaudita & incognita, inconsultè aggredi præsumerem, ex leuitate mea æmulorum odium prouocarem, vnde, vt ceciderit alea, citra notam discedere non liceat. Itaque ambigere quis possit, iocóne, an seriò hæc conscripserim: quia in huius emunctissimæ ætatis acumine, parum æquos lectores fore considerabam, qui maiorem dictionis florem, stylumque ac phrasim fortasse desiderabunt, atque stomachantes frontem contrahent, minimeque probabunt, si suis opinionibus inuenerint esse contraria atque diuersa, dicentque:

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?

Itaq; procedente tempore, cunctatio maior mihi ac segnities quædam incessit, vt de perfectione operis penitus desperarem. Aderant ilicò viri grauissimi, qui cupiditate cognoscendi facta maiorum, me ad perficiendum opus iam inchoatum instigabant, iniquum esse clamitantes, vt librum non vulgarem vtilitatem, si euulgaretur, de se præbentẽ, adeò mordicus supprimerem, & apud me detinerem. Nam nescire historias, aut ea quę antequam natus sis, acciderunt (teste Aristotele) est semper esse puerum. Non potui diutius eorum petitionibus, vtile ac honestum suadentibus, resistere, neque in meo otio omninò torpere, sed me potius exponere maledictis calum-

niatorum, quàm bonorum virorum non ſatisfacere deſiderio. Cum patriæ noſtræ, cui naſcimur, & quæ ortus noſtri non minimam ſibi partẽ vendicat, imò quæ omnes vna omnium charitate complectitur prodeſſe debeamus. Itaq; parum egiſſe nos arbitratus ſum, niſi & hæc etiam aliis, qui ex talium lectione voluptatem non mediocrem capient, impertiremur. Omnes enim nationes voluptatem ex maiorũ recordatione percipere ſolent. Tali confidentia, audacius, quàm efficatius, amicis parui, quòd ſperem hoc meo exemplo me alios doctiores conterraneos meos excitaturum, qui ingenio, eruditione, & facundia mihi antecellunt, vt noſtræ patriæ laudes ſplendidiore vena celebrent. Quorum doctorum virorum patrocinio fultus, odia detrectatorum non metuo, cum doctorum refugium mihi patere videam. Vires animumque reſumpſi, atque rem tam difficilem aggreſſus, operæpretium me facturum ſpero, ſi aliqua rerum antiquitatum Friſiæ perenni memoria digna, ſuccincto ſtylo, licet indocto & incõpto, poſteritatis notitiæ commendare poſſim. Siquidem Regum Ducumque bene geſta, quantumuis alioquin præclara, aut intermoriantur, aut obſcurentur ætate neceſſum eſt, niſi hiſtorici opera literis cõmendentur. Si autem geſta Romanorum & peregrinas hiſtorias cupidè legimus, multo ſtudioſius & libentius domeſticas & patrias res inquirere, & cognoſcere debemus. Proinde humanitatem beneuolentiamque veſtram ad candidam huius libri cenſuram imploro, cum hic noſter labor origine ſit antiquus, pro veſtra modeſtia aures æquas præbeatis, ac ſopita omni arrogantię & temeritatis ſuſpitione, hominum beneuolorum honeſtos conatus carpere deſinatis, atque rectius inquiratis, acriusque intelligatis, & æquius iudicetis veráne, an falſa ſint, quæ hic à me exarata proponuntur. Et ſi à veritate non aliena, cognitioneque digna & neceſſaria comperiatis,

meum

meum quæso hunc laborem æqui bonique consulatis: quum venia antiquitati datur, & bonorum virorum sit etiam dubia in meliorē partem interpretari. Illudq; persuasum habeatis, à me nihil hic exaratum, nisi quæ à summis, indubitatæque fidei amicis, curiose explorauerim, aut ex probatissimis authoribus diligentissimè collegerim, quò certiora omnia exploratáq; magis posteris traderem: Quamuis quisq; suæ genti faueat, & illi studeat condecorandæ. Si tamen à maleuolis, studio æmulationis non probabitur labor iste meus, velim vt ipsi aliquid magis elaboratum edant, priusquam hæc arguant: nam facilius est aliquid calumniari, quàm imitari; iuxta illud:

Non deerunt certè, qui cum nil edere possunt,
Dignum laude, tamen gaudent maledicere semper.
Carpendisq́ue aliis, famam venantur inanem.

Attamen beneuolis, quibus egregia studia cordi sint, hæc non displicitura mihi planè persuadeo. Instanter itaque, atque humiliter beneuolentiam amicorum imploro, quod si aliquid minus bene dictum repererint, illud secundum iustum animi motum corrigant & emendent, cum is non sim, qui me iniuria affici putem, si quis errata mea reprehendat, & verè ac fideliter moneat; quum omnium doctorum censuræ, in his quæ omisi, me lubens submittam. Ideoque in hoc propensissimo voluntatis officio, non tam ea, quæ assecutus sum, quàm quæ assequi optauerim, æstimate, & contra æmulos defendite, cum & solus conatus, in reb⁹ honestis & Reipub. vtilibus, etiam laudi aliquando detur, iuxta illud:

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas,

Exemplo Artaxersis Regis Persarum, qui etiam manu haustam aquam ab operario, dum sitibundus equo insideret, boni consuluit. Nostra enim, etsi vobis non allatura sint aliquam vtilitatem, saltem fa-

 sti-

ſtidium legentibus non inferent vllum, neq; damni quicquã. Si enim immortalem aſſecutus eſt laudem Valerius ille Maximus, apud omnes humanarũ artiũ ſtudioſos, quòd ethnicorum & gentilium hiſtorias, externarumq́ue gentium facta, memoratu digna, in compendium redegerit, quæ apud alios latius diffuſa erant, quàm vt breuiter cognoſci poſſent: quantò magis nobis apud bonos noſter manebit honor, qui tam multa, ab aliis parcè admodum tracta quidẽ, ſed nunquam explicata, plenius in hoc libro conſcripſimus. Quamuis illud teſtatum velim, me nihil in his ita aſſerere, aut ita mordicus defendere, vt à ſacroſancta veritate, & publica tranquillitate vel latum vnguem deuiare cupiam: quæ ſtudioſo Lectori, proinde vel legenda, vel, ſi minus ſapiant, prætereunda, committimus.

Vale.

AV-

AVTHOR AD Lectorem.

rlege conscriptum, Lector, breuitate libellum,
Atq; viri grati, munus obito precor.
lius & mentem semper defendito, honores,
Proq; eius studijs vota benigna refert.
allere, si, nondum quæ sunt tibi cognita, damnas,
Iudiciumq; tuum futilitate cadet.
inc quicumq; leges, nostro descripta labore
Fortia gesta breui, grandia bella libro:
rata mente rogo. porrecto munere gaude,
Et quacumq; potes, parte iuuare iuua.
erge diu nobis, quod agis, perge esse benignus,
Et studia auxilio profer honesta tuo.

Aliud in Zoilum.

Hoc opus abstineas, heus, inuide carpere Zoile,
Aut dederis prælo doctius ipse tuum.

N LAVDEM AVTHORIS CARMEN D. ANTHONII FOLlardi Bornbergij, ad S. Martinum Groningę Vicarij perpetui.

En patriam gentem scribit ritusq; sacrorum
Kempius, & patriæ fortia gesta docet.
Qui mores Frisonum, qua sint ab origine nati,
Tristia quæ tulerint, prospera quæ tulerint.

Hic lege, nec pigeat, perdisces, candide Lector,
Quàm fuerint semper magnanimes Frisij.
Francus eos potuit, potuitq; affligere Danus:
Attamen & neuter vincere eos potuit.
Id tandem noscens Carolus cognomine Magnus,
Non vi vincendos, sed pietate putat.
Perlege (nec cesses) grato congesta labore,
Quem peperit seræ posteritatis amor.
Authoriq; fauens, flagranti mente precare,
Vt sint ad Pylios fata benigna dies.

IN LAVDEM AVTHORI PRO COMMENDATIONE LIbri, per Doctorem Ennium Elchiū Frisium Physicū.

Res Frisiæ paucis quisquis cognoscere gestis,
Huc ades, hoc præsens perlege Lector opus.
In quo præclarè, Kempis Cornelius acta,
Atque cupit mores pandere gentis Adam.
Conuenit hæc homini studiosa scientiæ, præter
Cætera qui debet nosse, quod ante fuit.
Hic populum Frisicum disces, nunc æquoris vndas,
Nunc Martis furias, vincere corde suo.
Hic est quod doceat pueros, iuuenesq; senesq;
His ornare potest, sexus vterque caput.
Nullus in orbe locus, si quid mihi credere possis,
Tot patitur casus, totq; pericla refert:
Quod Frisiæ tractus, quamuis est strictior orbis,
Et plures terræ continet illa modos.
Insula multiplicis formæ est, rursusq; palustris

Magn

Magna peninsula hians continuusq; sinus.
Author naturæ miracula grandia doctus
Explicat his pulchris Kempius ipse libris.
Cuncta docet, dignusq; fide est, grauis author, & ipsa
Non aliter de illo publica fama canit.
Quod quia festinans nimium, tibi carmen amice
Non satis excoctum, post tua terga datur.
Grata igitur mente hoc, Lector, fruitare labore,
Tempora & Authori læta precare. vale.
Viuat & æternos clarus feliciter annos,
Eiusq; ingenij fama perennis eat.

HISTO-




Historiam de Origine, Situ, Qualita
& Quantitate Frisiæ, rebusq; à Frisi
olim præclarè gestis, per D. Cornel
um Kempium Docomiensem, variæ (vt co
ligo) lectionis virum, comprehensam, &
tres libros distinctam, quantum ex gust
quem aliquot foliis perlectis colligere, pr
breuitate temporis, potui, sine fidei & rel
gionis periculo typis mandari posse cense
ego Ioannes VValschartz Tungrensis S. T
D. ac pro tempore Theologicæ facultat
Coloniensis Decanus licet immeritus. Vti
enim & necessariũ esse arbitror cum à cu-
ris maioribus vacat animus, vt quisq;
variarũ rerum, & potissimum
maiorum suorum suæ-
que gentis historiam
nosse satagat.



DE SITU QUALITATE ET QUANTITATAE ANTIQUAE FRISIAE EX PROBATIS authoribus.

CAP. I. *LIBRI PRIMI.*



RISIA seu Phrisia, quæ olim proprium erat regnum, per littus, Germanici oceani ab Rheni ostio, in ipsam vsq; Cimbricam Chersonesum, quam Juthiam siue inferiorem Daniam vocant, apud varios authores, variis denominationibus & appellationibus sese extendit: & est regio præclarissima inferioris Germanię, inter ortum & occasum longissimo tractu in littore oceani septentrionalis sita, multasque in se continens prouincias, quas Frisij patrio nomine Zelandias, quasi mari proximas vocāt. Ab oriente habet Holsatiam siue mare Danicum, aut vt alij volunt Balthicum, ab occidente Hollandiam, & vt scribit Aeneas Siluius, Traiectum inclusiue, cuius occidentale latus claudit celeberrimum flumen Rhenus:

quanquam & ipſum Traiectum ab Auſtro, cum magna parte territorij ſui videlicet Trãſiſſulanæ regionis ad Friſiam ab antiquis tẽporibus ſpectaſſe conſtat: vt infra ſuo loco latius dicetur. A meridie vero habet partem Saxonia, VVeſtphaliam ſcilicet: ab aquilone vero oceano ſeptentrionali, ſiue mari germanico, clauditur. Situs eius ab ortu vſq; ad occaſum, ad auſtrum tamen inflectendo, in immenſam porrecta eſt longitudinem, in latere vero anguſta vix iter trium dierum. Nouiomagum Friſici regni terminus eſt. Sed priuſquam deſcriptionem eius regionis, aut quis ab antiquo in Friſia rerũ fuit ſtatus, atq; quæ præclare in ea geſta ſunt, incipiam enarrare: operæ præcipium me facturum exiſtimaui, ab ea, quæ antiquitus nomen ſibi illud retinuit peculiare: exordium ſumere, atque hoc, iuxta veterum ſcriptotum exempla, qui ſemper ſitum regionis prius deſcribebant, quam oſtenderent quæ in ea facta fuere. Iulius Cæſar ſcripturus de bello gallico, de ſitu galliæ primo exordium ſumpſit. C. Saluſtius etiam in ſuo Iugurtino bello, Aphricam deſcripſit, atque in coniuratione Catalinæ ſimiliter ſitum vrbis Romæ. Nos igitur Friſicæ gentis antiquiſſimæ hiſtoriam conſcrpturi, quiã in ſeptem Zelandias diuiditur, ab ea totius operis initium ſumere neceſſarium duximus, quæ ſemper ab antiquis

nomen

nomen Frisiæ sibi peculiariter, reseruauit. Est autem Frisia terra plana, populosa, & colonis plena, sine montibus, armentis & gregibus opulenta, & quæ in boreali plaga Oceano adiacet, palustrisq; existit, Gleba est argillosa, ferrarum gramine exuberans, pascuis vberrima, alendisque pecoribus aptissima, vnde etiam ingentes boues, crassos atq; pingues, alit: ita vt iure quidem mirari possis, vnde proueniant tanta boum ac ouium agmina. Nutrit præterea Frisia multos equos, quos virgis ac verberibus tractabiliores reddunt, vt suauiter incedant, studeantq; veluti dedita opera mollem facere gressum, ne insidenti molestiam vllam inferant, quos intra bimatum domant, vsq; trimatum, fossas transilire; primo exiguas ac deinde ampliores, nam postea difficilius instruuntur. Hos exotici mercatores emunt, atq; in terras remotas veluti naturę miracula, vel ad circumiacentes regiones, permutatione mercium, venales exportant. Insuper & lacte, butiro caseoque abundat, propter fertilissima terrarum pascua, & armentorum abundantissimos greges, quamuis tamen non æquali virtute atque valore, tum propter salis varietatem, tum etiam propter fundorum differentiam, quibus multas inferioris Germaniæ partes alit & nutrit, multaque vasorum magnorum milia butiro plena, vltra mare

ad remotas vſq; regiones, (quaſi aromatica ſiue medicinalia forent) exportantur. In pecoribus omnis eorum ſubſtantia eſt, ager planus ac paluſtris multo gramine fœcundus, & alendis pecoribus iumentisq́; aptus, prata ac campi odore herbifico, incredibili ſuauitate admirandi. Nutrit militares equos fortes ac altos, nutrit vaccas, bouesq́; proceros, innumerabili multitudine, & quod omnium rerum vincit admirationem, vna vacca in Friſia ſæpe procreat gemellos vitulos, qui ſi ſint diſſimilis ſexus, neuter valet ad generandum, & earum vna ſemper, Hermaphrodita fit ſterilis, atque vulgari lingua, *Een quen*, appellatur. Et ſi vterq; fœtus vnius ſit generis, pariſque ſexus, valent ambo ad generandum. Nutrit præterea oues, porcos, anſeres, anates, & gallinas in magna quantitate. Boues etiam à cœtu aliorum quantum induſtria permittit ſeorſum in aliis paſcuis impinguant, mactandique cauſa ſegregantur: oues in vtroque ſexu propter abundantiam lactis ac nutrimentorum plerumq; cornutæ ſunt, lanamque habent longam ac mollem, quam bis in anno tondent, & plurimum ab aliis differunt mollitie, quarum magnus eſt ibi numerus, quia iſtic iam nulli inueniũtur lupi, quamuis olim in magna multitudine fuiſſe conſtet. Agni in tota gregis multitudine, matrem noſcunt balantem, & ſimiliter

mater

mater agnum odore cognoſcit. In ſumma eſt
regio valde fertilis, animaliaq; omnis gene-
ris maiora, atq; pinguiora habet, quam ſunt
n aliis regionibus totius Germaniæ, nam in
liquibus locis, caſei tam magni conficiun-
ur, vt duo valentes ac robuſti viri, ſex aut
eptem ex iis, vix ad breue ſpacium deferre
oſſint, virorum tamen manu non confici-
ntur, ſed arte mulierum, quæ ad hoc à iu-
entute edoctæ ſunt, neque quiſpiam viro-
um, huic operi fæminarum intereſſe, mere-
ur: etiam ſi hoc precib⁹ impetrare conetur.
Viri vero agros colunt terramque ferreo vo-
nere proſcindunt, quum ſit illa tenax valde
c argilloſa; atque ita tenui aratro ſubducta
riturant, ac raſtro coæquant, bouinoq; ſter-
ore letiorem reddunt, inque eo ſemen con-
dunt, atque ſingulari quadam induſtria ſe-
minant, quamuis in pleriſq; locis hoc exter-
no condimento, minime egeant, quo tamen
it vt latiorem ſegetem, meſſemque vberio-
rem exinde reportent, & expectationi agri-
colarum reſpondeant: equis tamen & non
bobus, vt fit in aliis locis, ad voluendos vo-
meres, vtuntur. Alibi agricultura magno la-
bore ac ſumptu exercetur, ſoli Friſones in ea
parte, minimo ſumptu, laboreque tenui fru-
ges fertiles, adferunt, hordeum ſcilicet, fru-
mentum, triticum, fabas, piſas, & prætere
omnium genera leguminū, quæ breui tem-

pore crescentia, ac cum fœnore resurgentia, suos cultores maxime ditant.

CAPVT II.

AVstralis vero pars Frisiæ, arenosum habet solum, magisq; frumentis ferendis, quam gregibus alendis, aptum: quamuis etiam paululum vbertim agricolis suppeditet, & nutrit præcipuæ nobiles equas, ad genus faciendum, ex quibus etiam pullos equinos elegantes nutriunt. Arborib' quoq; plusquã borealis pars abundat, vnde videtur quodammodo esse domicilium auium siluestrium, habet enim philomelas, vultures, pdices, turdulas, aquilas, nisos, merulas, accipitres, grues, ficedulas, ciconias, ardeas, falcones, onocratalos, graculos, colũbas: & ꝙ valde mirum, cęterisq; regionib⁹ nusquã visum, habet monedulas virides, instar psitticorũ, ob pennarum decorem, ita vt vix ab ijs discernere queas, atq; qui nunquam antea psittacum viderit, monedulã psittacum esse, iudicabit. Sunt præterea & quam plura alia auium genera, quarum mane & vesperi tantus est conuentus, tantaq; canendi suauitas, vt nihil amenius nihil voluptuosus audiri, possit. Habet etiam apes in plurimis locis mellificantes, & plurimum potest haberi cõmoditatis ex terra illa, si labore maceretur, pastinetur, ac stercoretur. Habet

quoque

quoq; tantam omnium alimentorum messem, quæ incolis per integrum annum sufficiat, & tempore caristiæ euehitur à mercatoribus ad alias propinquiores terras, in magna abundantia, excepta tantum siligine, qua carere non possunt. Forsitan & spelta ibidem in plerisque locis cresceret, si modo aliquando seminaretur. In pluribus locis palustris hæc regio existit, in quibus effodiuntur glebæ, quæ ad solem desiccatæ cespites vocantur. In aliquibus etiam locis nigra quædam vel viscosa gleba effoditur, quam incolæ eius regionis patria lingua *Turf* vocant, quæ vsum lignorum ad ignes fomentum, supplet. Atque huiusmodi cespites in tanta effodiuntur copia, vt ingentes naues ijs oneratæ, in Hollandiam abducantur, ex quorum cespitum cineribus, in aliquibus Frisiæ locis (quod auditu valde est mirabile) optimum sal conficitur. Ferunt nonnulli tempore diluuij sub Noe, illuc ex Noruegia adiecta illam terram, quod videtur aliquam veritatis similitudinem habere, nam vbi illi cespites effodiuntur, ibidem etiam inueniuntur sub terra, magnæ & antiquę arbores, euersæ ad arenam, iacentes in magna multitudine, super quas cespitosa illa terra residet. Inueniuntur præterea intra eandem arenam, atque terram cespitosam, abietum arbores partim exustæ, quas etiam egomet

in patria mea oculis meis vidi, atq; propriis manibus contriui, sed quia vetustate erant consumptæ, speciem tantum referentes, nihil præterea erant, cum omnia mutat æui longa vetustas. præter has arbores inueniuntur etiam quercinæ, quæ postquã sunt effossæ & siccatæ, pristinã retinent duritiem, neque vnquam putrescunt, modo in siccitate permaneant. Vnde pro certo constat hanc terram ante diluuium pro bona eius parte fuisse horridam, incultam, syluis ac paludibus obductam, infœcundam frugiferarumque arborum & omnis culturæ impatiẽtem, vnde & syluestris Frisia in hodiernum vsque diem nominatur, vulgari lingua, *De seuen VVolden*. Et si quis priscorum nunc ab inferis resurgeret, ac oculis suis Frisiæ intima contemplaretur, nunquidne multum miraretur? cum nunc tota Frisiæ terra colitur, & fere omnibus in locis, fœcunditate agrorum eximiæ ornatur. Estque præterea in ea parte Frisiæ mira arborum proceritas, neque vlla loca sunt (quantumlibet etiam præseferant horrendam faciem) quæ sagacitate humani ingenij melior non sit reddita, ita vt quilibet iam facile in omnibus Frisiæ locis, sibi victum parare, queat. Mirum in modum populus vnus alteri fert opem, adducuntq; ea quæ apud se abundant, & alibi desiderantur, qualia sunt ligna ædificiis apta, cespites ad vsum

vſum ignis neceſſarij, qui in magna copia (vti antea dictum eſt) euehuntur, ac pro iis alia ſibi neceſſaria, comparant. Multi etiam in boreali parte Friſiæ in locis paludinoſis habitantes ſiccato ſtercore boum ignes ſuos fouent, atq; cibaria ſua ad huiuſmodi ignes coquunt, cum ceſpitibus ac lignis careant, atq; abiecta pecorum ſtercora nulli vſui eſſe poſſint, cuius tamen incendiũ grauem ac fœdum facit odorẽ. Præter hæc quoq; nonnunquam ruſtici vtuntur ſtramine, pro ignis fomento, cum ligna atq; ceſpites deficiant, propter vehemens atq; horrendũ frigus, ac aſperiorem hyemẽ, nam hæc prouincia (vt antea diximus) non ad meridiem, ſed ad Aquilonem, ſita eſt. Nam poſtquã mari Oceano eſt proxima, atq; ibi ſol tempore hyemali voluitur breuiori circulo, longiusque diſtat, ex quo fit, quod terra, aqua, ſtagna, ac alia elementa naturaliter frigida, fortius ac immanius nimio frigore cõgelantur, ita quod curribus ac rhedis per mare congelatũ, in Hollandiam ſæpiſſime itinere longiſſimo ac periculoſiſſimo tranſeant. Etenim tam vehementer ibi nonnunquam ſunt intenſa frigora, vt quemadmodum tempore æſtatis æſtu nimo, ſic etiã frigore immenſo, terra & aqua in hiatũ diſcedant, ac cum ita glacies eſt concreta, diſrumpitur ſępe, & ex eo tam horrendus exoritur ſtrepitus, vt putes totã terram

dissilire. Et si quæ fossæ hyemis tempore pro aqua, niuibus oppletæ existunt, congelantur tamen tam immensa duritie, vt sint peruiæ transeuntibus cum curribus, atque impedimentis: ita etiam vt si ignis quandoque ibi accendatur, obstante nimia regionis frigiditate, non est ita lucidus, nec adeo efficax in sua actione, sicuti in aliis locis videtur esse. Et quamuis asperior & longior ibi hyems sit, fruges tamen eodem tempore, quo in aliis vicinis prouinciis, & maturescunt & colliguntur. Adeo ibi temporum & statutæ vires mutantur, vt cum alij feruore solis exestuant, solam Frisiam niues sæpe obruant. Rursusque vbi cætera rigent, illic intollerandus æstus existat, præterea habet & Frisia fructus omnis generis, veluti pyra, poma, cerasa, pruna & nuces, quamuis non in magna admodum copia, qui fructus omnes plerumque circa finem mensis Augusti, maturescunt. Immo quædam horum fructuum genera, vtpote mala aurea, & similia solo frigore accedente, circa finem Septembris, maturescunt. ob id immensa est incolarum voluptas, non secus quam si in paradiso terrestri, consisterent, vernantibus scilicet æstiuis tẽporibus omnis generis floribus, ac virentibus pratis ac arboribus. Exotici etiam fructus, ex partibus Germaniæ apportantur, qui adeo sole excocti sunt, vt

diu conſeruari nequeant, quos tamen tam auide ruſtici deuorant, vt ſæpe exinde morbum aliquem ſibi contrahant, ac vix mortis periculum euadant.

CAPVT III.

QVia, vero Friſia Oceano eſt contigua, ſæpe ob ſeuitiam maris in magno eſt periculo, nempe quādo ventus flat ex media Septentrione, ac Zephiro ſiue Occidente, quem ventum nautæ vocant Corum, vernacula lingua *Noortvveſt*. Magno tunc impetu cōmouetur mare, turres Ecclesiarū, ac ædes ſublimiores grauiter quatiuntur, ac interdū etiam ad terram proſternūtur: arbuſta quoq; ſępiſſime ad terram radicitus euelluntur, ac mole integræ vi ventorum deiiciūtur ad terram, excitantur nonnunquā tam horribiles procellæ in mari, vt etiam ſæpiſſime, magnæ naues vi turbinum ſubuehantur in ſublime, vnde etiam fit quod mare ita commodum atque turbatum, longe à ſe agat ſuas procellas, ad terram vſque, quare aggeres ſæpe franguntur, foſſę inundantur, ſepta diſſipantur, omniaque obſtacula, humana induſtria facta contra huiuſmodi impetus, deſtruuntur. Quam vero formidables, periculoſi, ac noxij ſint venti huiuſmodi per totam Friſiam ipſi incolæ, immo etiam alienigenæ eo confluentes, non ignorant, & maxime

xime ibidem habitantes, quæ magno suo incommodo, hoc sæpius experiuntur. Vt igitur huiusmodi fluct⁹ quotidiani non in terram irrumpant, vallo, ex terra argillosa confecto, omne littus cingitur, vt ita tandē eius, impetus coerceatur. Quod si vero aliquando huiusmodi impetu vallū frangatur, tum campi inundantur, sata mergūtur, homines ac pecora suffocantur, aquis obruuntur, ac nullus euadit, nisi in altiora loca confugerit. Nec hodie (saltem vniuersaliter) est dubitare, Oceani inundationem plus vtilitatis, quā damni, incolis suis inferre, ac præcipue habitantibus in locis palustribus. Nam hoc certum est, quod in quibusdā locis & maxime (vt dixi) in palustribus, huiusmodi inundationem sequitur magna fertilitas agrorum, & multarum frugum prouentus, atque hoc beneficio Oceani inundantis terram ex limo æstuantis maris. Sed in aliis locis Frisię, maxima terræ sterilitas talem inundationem sequitur, propter aquæ marinæ, omnem terræ superficiem occupantis salsuginem vel salsedinem, quæ terram, aquas tam fluuiales, quam lacustres interioris Frisiæ salsas efficit, vnde etiam terra primo anno penitus sterilis, & infructuosa redditur omnesq; pisces fluuiales (quorum magna diuersorum generū in lacubus, stagnis atq; fluuiis est copia) moriuntur, nisi frequentes, ac quasi con-

ſi continuæ aduenientes in vere, pluuię: terra atq; aqua ita aſſequantur priſtinã dulcedinem. Rara antiquitus fuere, in Friſia oppida, ſed frequentes pagi, in quibus contiguas ædes habebant, ſed ruricolę omnes ita per totam Friſiam ſemoti ac diuerſi habitant, vt vnus vix ab altero acclamari poſſit, ædificiis, non in Germanorũ morem connexis ac cohærentibus, ſed ſuam quamque domum foſſa alta circũdat, vt aduerſus incurſus prædonum ac nebulonum, ſiue etiam aduerſus omnes caſus ignis aut incendij, tuti eſſe poſſint. Noſtra vero memoria quam multæ inſignes ciuitates in Friſia, reperiuntur. Omñes communiter altis ac latis vallis ac foſſatis inſuperabilibus circumceptę, turribus & propugnaculis ex terra argilloſa munitæ, atque plateæ ciuitatum vt plurimum ſilicibus conſtrate: Cęterum paruæ ac paucæ, vetuſtatem aliquam præ ſe ferunt, quũ omnes fere intra ducentos ab hinc annos) excepta Grõninga ac Stauria) extructę ſint, & peruenerũt ad illam, in qua adhuc hodie ſunt, ſublimitatem. Et dici vix poteſt, quantũ Friſia in oppidis, caſtellis,, vicis, pagis, Monaſteriis, nobiliumq́ue arcibus creuerit, poſt tempora Caroli magni. Quantum vero attinet ad ędificiorum ſtructuram, diuites lapidibus cemento, tegulisq́ue lateritiis domos ſuas ędificãt atq; operiunt, pauperes vero ex luto,
ſine

ſine argilla, ſuas domunculas faciunt, ac ſtraminibus vel arundinibus eas tegunt. Vnde Vergilius.

Atq; humiles habitare caſas & figere ceruos.

Prædia eorum quæ poſſident, maior pars propria ſunt, pauperes vero prædia ſua certa annua penſione à ditioribus conducũt, ac in iis curioſa ædificia erigere, non permittitur ruſticis, ſine licentia domini fundi: perſoluta annua penſione ſua, gloriantur nemini ſe quidquam debere, ſuique ſeſe iuris eſſe. Ex caſeo, butiro, coagolatoque lacte, magnum capiunt annuatim ruſtici emolumentum, atque commodum, agriculturę quoque, ac rei pecuariæ, vt plurimum ſtudent, atq; pecora ſua hyemali tẽpore in ſtabilis recluſa nutriuntur à colonis, præparato ad id (æſtiuo tempore) fœno.

CAPVT IIII.

VErum quæ Friſia in hac deſcripſione accurate deſcribitur, ea proprium id ſibi nomẽ vendicat antiquiſſimo titulo, cęterisque pręſtantior ſemper eſt habita. Occidentalis Friſia à nõnullis vocatur, patetque ab extremi Rheni oſtio, ad Amaſum fluuium: quamuis, verum illi nomẽ pro magna parte, à Rehno vſq; ad Fleuum fluuium Hollandi abſtulerint. Seruant tamen Annales atque multi ſcriptores antiqui, illi prouinciæ adhuc ſuum nomen atque honorem

ineſſe

inesse, ita vt eam adhuc vocent communi vocabulo Frisiam Occidentalem. In huius Rheni ripa siue ostio, olim magna arx erat limitanea. sumptuosissime à Claudio Cæsare, ex solidis lapidibus pumiceis latine Tophis germanice *dueffstein.* constructa, vocata arx Romana. Vbi tyranni præsidio imposito piraticam exercebant ac famosum luculentissimumqne erexerunt telonium, in quo naues vndiq; conuenientes, de omnibus mercimoniis constitutum vectigal pendere tenebantur: sed postea Britones populariter eandem arcem translato nomine Castrũ Britanicum siue armentarium, vulgari nomine *Britenborch.* nominarunt quod nomen adhuc in hodiernum diem seruauit. Ceterũ Anno domini. 1520. fluctib⁹ marinis hæc arx penitus sub mersa, cui⁹ veteris ędificij vestigia, ac ruinę. Anno. 520. ac denuo Anno. 1532. & postremo. 1562. mari omnino defluẽte, ad magnæ rei fidem, in littore Oceani, haud procul à vico Catvvyck nõ longe ab vrbe Leydis, cõspectæ fuerũt, tametsi aliqui lapides fusi, & à gurgitib⁹ translati fuere. Siquidẽ antiquitus, Rhenus per Traiectũ versus ciuitatẽ Leydensem, ac deinde Catvvyck in Oceanũ defluere solebat, vbi tẽpestatis vi, colles ac montes arenosi, aluiũ Rheni, ita tẽporis successu obstruxerunt, vt hodie ostiũ eius inueniri non possit. In qua Frisiæ parte, duplices populi,

Busactor

Busactori parui scilicet & maiores habitarũt in quorum terminis, quam multæ ditiones diuersis nominib⁹ sitę sunt, vt pote Kermerlãdia. VVaterlandia. Amstelandia. Goierlandia. Oostergoia, VVestergoia, Septem syluę, Stellingvverffia. Schotervverffa. Opsterlandia. Smalgerlandia. Tungeradela. Octo Parochiæ. Homsterlandia. VVredevvolda. Langevvolda. Honsingha. Fymelinga. Medagora. Oldeampta. Billinvvolda. Flachvvedda. Phedargha, hoc est Reiderlandt & Gronninga vrbs inclita, cum Drenthia, & circumiacenti territorio scilicet, Goe atq; VVolde: pecore ac pascuis exuberantes & pagis Ecclesiis nobilium arcibus, ædificiis, plusquã alia quædam regio, exculta. Vbiq; fertiles, aquis irrigues stagnis abundantes, nauibus peruiæ agris opulentæ. Quæ omnes ditiones sibi nomen Frisiæ semper peculiare retinuerunt, ac Frisonici iuris esse voluerunt. Huius Frisiæ incolas, Aeneas Siluius, Iacobus Carmelitanus, Tacitus, Merlianus. Hermolaus Barbarus. Ptolomeus Plinius. libr. 4. cap. 17. naturalis historiæ Frisiabones, vocant. Est autem hęc prouincia iam optime exculta, ciuitatibus, oppidis, pagis, arcibus ac vicis: nec vllus in ea est locus vacuus ac incultus, nisi quẽ stagna aut lacus occupant. In multis etiam partibus, perspicuos habet lacus piscosos, magnos quidẽ sed vtiles. quos pro sui magnitudi-

nitudine,ac piſcium multitudine,patrio nomine Maria, vocant. Cui Friſię parti antiquitus latiori termino Tranſiſſulana regio,cum Tuentha iungebatur,& teſte ptolomæo,vno nomine vocati ſunt Buſactori. Quarum vltimæ tres ditiones,ſuperius nominatæ ad Occidentem Amaſi, videlicet, ad Fymlingam, Huſingam,& Phædargam, ante ducẽtos fere annos inundatione maris,perierunt 36 pagi, vnde ex hoc fere illa terra ſpeciem maris præbet ex aquarum pondere ſuper terram ceſpitoſam,reſidente patrio nomine nuncupatur. *Dollart.* ex Oceano ſingulis diebus bis fluente, in Amaſum, & refluente, vt procul ſpectantibus mare eſſe videatur. Quod mare etiam ad meridiem, & occaſum, infra pagum Finſtervvoldã in duas partes ſcinditur pluresq́ue inſulas facit.

CAPVT V.

ET quamuis hęc regio feris(propter ſyluarum defectum)careat animalibus,tamen delitioſos ac opulentos quidem delectat inquilinos (prouidente omnium conditore & largitore deo) propter auium volucrumq́;, tam campeſtrium quam fluuialium genera, quarum tum ouium etiam carnibus lautiſſime paſcuntur. Cibatu Friſij duro & inconcinno vtuntur, laridum, carnes fumo exſiccatæ,butyrum ſalſum,& caſeus illi genti pe-

culiaris suus est cibus, panem mediocrem rustici conficiũt ex Hordeo, præter eum qui fit ex siligine ac tritico, quem ita nouerunt purgare, vt colore, sapore, ac sanitate exuperet frumenti seu siliginis bonitatem: ex cuius esu, tantum roboris ac virium obtinent, vt vix gens aliqua fortior sub sole, reperiatur. Parant quoque multas salitas & exsiccatas carnes, præcipue ex pinguioribus, bobus ac ouibus, easq; non aëre, sed fumo cespitum indurant, & delectantur huiusmodi carnibus ouinis plurimũ exteræ nationes, quibus auidius vescuntur incolæ, quam recenter mactatis, idque præsertim tempore æstatis. Et vt de anatibus, anseribus, & aliarum auium generibus, quarum in Frisia vix est numerus, quanquam & aliis in prouinciis forte, (etsi non in tanta multitudine) huiusmodi etiam inueniantur. Cygnorum tanta est multitudo, vt non tantum nobiles, ac delicati (quorum vsui proprie competere vidẽtur(sed & mediocres, agrestesq; homines ad saturitatẽ iis vescantur: & vt habet carnẽ suauem, plumasq; molles & albas, ita tamen carnes habet nigras, atq; in alis suis magnam fortitudinem, præterea in lacubus & stagnis degunt, & quasi peculiare, & naturale sibi solum, Frisiam elegerunt, nec credo vsquam terrarum reperiri, vbi cygni tam frequentes sint, ac generentur, atq; in Frisia. Cum vero vehemen-

vehementia frigoris fuerint ſuperati, tum attollunt ſeſe in ſublime, vaſtumq́; mare, veluti vnicum præſidium, pro ſecuriſſima ſtatione petunt, mitigato vero tempore, redeunt ad priſtinas ſuas aquas: vnde etiam ruſticis omnibus in illis partibus habitantibus opulentus aduenit queſtus. Qui vero nedum illius terrę incolis ad vſum domeſticum ſufficiuntur, etiam ad alias terras vltramarinas in Hollandiam ſcilicet, magnis copiis exportantur, abundant enim ſic auibus, vt venatione vel aucupio ruſticis interdicere, valde inſolens videatur. Nec plebei homines minus, quam nobiles, leporibus, turdis, perdicibus, cygnis, anatibus, anſeribus, atque id genus auibus, veſcuntur. Hoc de Friſiis dixiſſe diuum Cæſarem crediderim, quum quarto libro belli gallici ſcriptum reliquerit. Rhenus (inquit) vbi Oceano appropinquat, in plures defluit partes, multis ingentibus inſulis effectis, quarum magna pars, à feris barbariſq́; nationibus incolitur, ex quibus ſunt qui piſcibus, omniumque auium genere viuere exiſtimantur. hæc ille: præter hæc omnia, & quamplura Friſia fert victui hominum vtilia, quæ hic ſingulatim proſequi longum eſſet. Et profecto cõſtat Friſios nonnullos in inſulis habitare, vt patet de occidentali Friſia, ad Occidentem Fleui fluminis in VVaterlandia, ſita: quam Rheni etiam

ni etiam insulam in multis locis nemo dubitat in præsentem vsque diem anare, cuius enim superficies, in multis partibus, tenere vestita gramine ac frutice, non modo modice calcantes absorbet, sed & vestigia hominum vix admittit. Nam limo funditus subsidente, homines in luteas voragines attrahit, & cum ab aliis leuantur, trahunt magis adiuuantes, quam sequuntur, accedente præcipue asperrima hyeme, cum frequentes pluuiæ, illam paludinosam terram irrigant: vbi etiam magna atq; curiosa ædificia in altum erigere (ob instabile solum) non possunt, nam vbi fundamenta poni vel iaci debeant, ibi mox in magna quantitate, aquæ scaturiunt. Pauperiores, ac magis tenues incolę piscationi, aucupio, & aliarum campestrium auium acquisitioni operam dantes, sibi quæstum magnū, ac ditioribus voluptatem, procurant. Varium ac multiplex piscium genus affatim Oceanus illis præbet, vsui non tantum eius regionis incolis, sed & exteris quoque nationibus, ad quas saliti, deferuntur.

CAPVT VI.

IN summa Frisia regio est pulcherrima, populosa, & totius mundi fertilissima, tantaque soli vbertas, vt ducentena vulgo, & vbi eximie ferax est, trecentena messe redundet

det tellus: in qua grana ſingula frumenti binas, quandoque trinas pluresue ſpicas, proferunt: quarum culmi tam denſe accreſcunt, vt nec æqui facile pertranſire, nec coturnices inde auolare poſſint. Omnesq́; (vt breuiter dicam) in ſe habet commoditates, quas vnquã mortales, à ſuperis poſſent impetrare ac obtinere. Habet etiam paſſim portus tutos, & aditus marinis aquis peruios, lacus, paludes, fluuios piſcibus longe pleniſſimos, ita quod in Friſia, vbi aqua, ibi & piſces: neq; piſcinæ & fodinæ pro aquis & impiſcationibus tamquam inutiles illic non fiunt. Habet namq́; quatuor ampliſſima, veterumq́; ſcriptis notiſſima flumina, quæ per Friſiam in Oceanum delabuntur: Albim, videlicet, Viſurgum, Amaſum, & Fleuum, atque antiquitus iuxta Ptolomeum libr. 2. geographiæ, portũ & arcem Manarmanem, atq; Lauicam fluuiũ vulgari lingua, de *Lauuers*. qorum os nunc per tempeſtuoſum maris æſtum mole arenarum prȩcluſum, atq; iam incognitum. Quamuis Occidẽtalis Friſia adhuc alijs prægrandibus irrigatur amnibus piſcoſis, prædictis non multum minoribus, videlicet, Iſula, Cunera, Borna, & Vechto, qui à Couerdia in Vidrum, ſingulari induſtria ductꝰ, poſt multas ambages, tandem omnes in mari mediterraneo, exonerantur. Oritur autem Vidrus in antiqua Saxonia ſeu VVeſtphalia,

phalia,& perfluens vsq; ad austrum Hardenbergię, æstatis tẽpore tam aquis destituitur, vt nullo periculo, facile quis eum pedes transuadare possit, cęterum hyberno tempore aquarum multitudine redundans, oppidum Zvvollam alluit, ac deinde exoneratur in Oceanum. Tanta est ibi in aquis & fluuiis anserum copia, vt fere cunctas aquas cooperire, videantur; nõ enim eas aucupes exturbant, nam grossiores habẽt carnes, quam quæ ex siluestri venatione, capiuntur. Sunt fere omnes coloris cinericij, quidam vero candidi, habentes nigerrimas pennas, in extremitatibus alarum, ac in magna multitudine Couordiam, ad publicas nundinas venales portantur, atque etiam ad alias regiones deferuntur. In Issula vero, copiosa est piscatio, neq; vlla amnis pars peruiam vadi copiam dat, ita vt in aliquibus locis decem vel duodecim vnius retis tractu Salmones sepissime, capiantur ac vix in tota Europa vberior Salmonum piscatura repiritur, siquidem in tanto numero ibi Salmones aliquando capiuntur, vt etiam sępe fortissima quęq; retia tantam multitudinem non ferentia, rumpantur. Inueniuntur præterea aliæ variæ & multæ species pisciũ, præsertim carpionũ, luporum, & capitonũ mirę magnitudinis, & pinguedinis, neq; ingrato sapore, pisces etiã salmones meliores sunt, & in maiori prætio,
qui

qui in Iſula capiũtur quã in aliis fluuiis, imo tanto nobiliores, quãto in eo diutius fuerũt, ſuntque etiam ibidem multæ aues, quæ piſcibus inſidiãtur, veluti ardea, mergus, & quędam ſpecies anatum. Amaſus vero eſt fluuius, in quo (teſte Strabone lib. 1. ac Ptolomeo. lib. 2, cap. 14.) Druſus germanicus priuignus Octauiani Auguſti, nauali prelio ſuperauit Bructeros, qui iam ſunt, & vocãtur Broockmerlandij in orientali Friſia Et vocatur à Strabon. Amaſia, vel per aſpirationẽ Hamaſia, à Ptolomeo Amaſus. Bocatius vero Amaſim vocat eundem fluuium, atque deſcẽdit de monte Melibeto apud Padebornam, vbi haud procul à ciuitate Meppis, cum Haza fluuio coniungitur, ſed non ita aquis ibi abundat, vt oneratas naues bene ferre queat, ac per Friſiam defluens pro tanta aquarum magnitudine non admodum copioſa eſt in ea piſcatio, vtpote qui pręter viles, ac vulgares piſces, nullos alios habeat. Pręterea habet & Orientalis Friſia, alia pręgrandia flumina piſcoſa, alternis motibꝰ bis quotidie, modo in Oceanũ refluentia, videlicet, Iada. Hondt & Eydora, Amaſo non multum minora. Rerum itaq; omniũ copiã ad victũ neceſſaria, vſuiq; humano accommodã, vbertate ſoli, Friſia ſuis cultoribus cumulatiſſime producit; miniſtratque etiam multis aliis terris cibum, per circuitũ ſitis, vt vix vlli prouinciæ

totius Europæ cedat, vel amenitate loci & situs, vel celi salubritate, vel terræ fœcunditate, vel aliarum rerum quarumlibet vitæ degendæ conducibilium, aut ad splendorem ac luxum pertinentium vbertate, exceptis oleo atq; vino, quę propter frigiditatem ibidem non crescunt. Exprimitur tamen ibidem oleum ex semine lini, ac raparum, quamuis tamen iis non vescuntur, ob rarum olei vsum, atque abundantiam butiri, quare propter dissuetudinem eis iniucundum videtur oleum, eiusque vsus.

CAPVT VII.

ET quamquam Frisij vetustissimi sint populi, atq; per tot annos nomen suum inuariatum retinuerint, tamẽ inueniuntur eidem à quibusdam (vt antea dictũ est) appellari Busactores, Cauchos, & Gruines, à quodam Troiani generis duce, à quo & Metropolin Frisię Groningã, nomẽ accepisse, nonnulli asserunt. De hoc populo Aeneas Siluius, qui postea adeptus Papatum, pius Papa secundus dictus est, in Europia sua in hunc scribit modum. Gens Frisiorũ ferox, armis exercitata, robusta & proceri corporis, securi & intrepidi animi, liberã se esse gloriantur, suis vtens moribus, exteris nec parere sustinet, nec dominari cupit. Haud inuitus Friso pro libertate mortem appetit, sublimem vi-

rum

rum qui se cæteris præfert, non ferunt. Magistratus annuos eligunt, qui Rempub. ęquo iure disponant, fæminarum impudicitiam seuerius puniunt. Sacerdotes ne alia cubilia polluant, sine coniuge non facile admittũt. Vix enim cõtinere hominem posse, & supra naturam arbitrantur, in pecoribus omnis eorum substãtia est, ager planus & palustris, multo gramine fœcundus, ligno caret, bituminoso cespite, & sicco stercore boũ ignem fouent: hæc Siluius. Scribunt etiam de Frisonibus aliqui graues ac magni nominis authores, quod fuerunt seruitutis impatientes, libertatisque amatores, mortemque pro ea appetere. Certe Frisones patres nostri tributorum nomen horrebant, gladium & aratrum, bellum & pacem, mortem & vitam in æquo pro libertate ponebant; ita vt in commune prouerbium abierit apud omnes, Frisones non verbis ac voce, sed ictibus contendere, ac pro vna voce tres ictus refundere. Ita quod ille Mantuani versus iis merito ascribi possint.

Gens durata gelu, gens insuperabilis armis.

Maxima enim antiquitus gaudebant libertate, neq; superiores Dominos habebant alios, nisi primarios viros iudices, qui singularia obtinebant plebiscita, & iura municipalia, in qualibet pertegentis, qui per pagos vicosque ius reddebant, ac per omnem pro-

uinciam publicę vtilitati inseruiebant, consulentes in medium de reb⁹ gerendis. Erant autem Frisones in diuersos ac multos populos (vti dictum est) per totam ipsam Frisiam diuisi, qui singuli suos mores habebant, vel etiam in lingua Frisonica, vel in vestib⁹ quibus mulieres & viri erant discretæ, sicut & hodierno die in partibus Frisiæ, apparet. Omnes pecuniæ pœnales, quæ aut pro homicidiis, aut pro adulteriis, aut aliis enormibus & magnis delictis extorquebantur, ad communem populi Frisonici deponebãtur vtilitatem, atque si quis eos insolitis vellet onerare tributis, citius vitam, quam vel vnum teruncium (iis inuitis) extorqueret, nisi forsitan sponte, et vltro allecti, aliquid præstare, voluerint. Ita enim illorũ magnanimitas duci, non autem cogi, poterat. Quilibet etiam Iudex, pro parte sua, propriam ac asscriptam pecuniam, pro administratione Reipublicæ accipiebat, leges paucas, immo fere nullas habebant, & plus apud illos boni mores, quam alibi leges valebant: Cæterum crescente per ætatem in Frisia ciuilitate, creuit etiam legum obseruantia, vt recte de iis quis exclamare possit.

Legibus antiquis, stat res Frisona, viriũq;

Illudq; imprimis curæ habebant, vt apud bonos plus iustitiæ iura, quã opes valerent. Hodie vero nostro sæculo, apud Frisones

non

non tam vetuſtate ipſa (alia quidem in locis aliis mutata) quam pecuniæ ſtudio, pleraque deprauata, vitiataque cernuntur, & omnes priſcæ libertatis leges, ſunt mutatæ, ac ſeruitute magna affliguntur atque infininitis exactionibus expilantur.

CAPVT VIII.

EST inſuper hæc regio tam paluſtris, & paludinoſa, ſtagniſque plena, vt hoſtis nihil in ea pficere poſſit, niſi æſtas nimis fuerit ſicca, & certã eligat oppugnãdi rationem, aut per brumã in glacie, firmatis caſtris, expeditio in ea fiat. Autumni enim aquoſa tẽpora immeabilem faciunt terrã, vnde ꝓpter paluſtria loca, & crebras vndas, nõ poteſt facile expugnari. Immo & quãplurima loca adeo inuia ſunt, atq; cenoſa, vt vix in algidiſſima hyeme congelari videantur, vt etiam peditem leuiter gradientem non ſufferant quanto minus equi ad illa loca poſſent accedere, niſi in medio hiyemis, quãdo ſcilicet omnia rigent frigore, glacieq; conſtricta ſunt. Henricus Leo Dux Saxoniæ, An. 1155. pulſus Bauaria, Friſiã hoſtili agmine inuaſit, ſed parũ profecit in locis paluſtribus, in quibus nihil erat loci, copiis equeſtribus, quæ res facit homines taliũ regionũ inſolentiores. Hæc terra priuſquã in prouincias redigeretur, à ꝓpriis Regibus

Regibus est administrata, prout infra pau-
lo dilucidius congruo loco explicabimus.
Terra ipsa ferri est inops, & fossis altis vndi-
quaque dissecta, vnde accidit vt Frisij olim
raro vterentur in prælio gladiis, sed lon-
giori hasta, quam ipsimet patrio nomine *een
Friesche schoet*; vocant, breui cuspide præfer-
rato: & in ea inferius bifurcatum telum, siue
nodum, quo terga dando (si ratio aut neces-
sitas id poscat) per fossam ocissime transsili-
re, seque recipere, & fugam simulare, & comi-
nus inde reuersi aut eminus iterum dimica-
re, possint. Equi nec forma, nec velocitate
conspicui, nec in gyrum vti Italici equi, sed
recto tantum conatu, agebantur. Exercitum
vero is ducebat, qui pręcipua virtute præsta-
ret, quique magis exemplo, quam imperio
polleret. In summa plus viriū quam consilij
in bello ferebāt, existimabantq; plus robori
penes pedites esse, eoque mixti in turba præ-
libantur, ac hostem primo impetu audacissi-
mo aggrediebantur. In bello feroces sunt, &
inediæ, vigiliæ, algoris patientissimi, forma
decenti, sed cultu negligentiori, atque ab in-
eunte ætate corpora laboribus exercere, ar-
maque tractare, solebant. Neq; vsquam pro-
grediebantur viri absque armis, sed gladio
ad omnem temporis fortunam erant præ-
cincti. Arma erant illis vt plurimum arcu
pedalis, & sagittæ cum ense admodum præ-
longo

longo, à dextero latere, inferius parum curuato, in modum fere Turcarum *Sabulorum*, ex vna tantum parte acuto: quem gladium sua lingua Frisica appellabant, *Een ffryschen daggen ofte een ffryschen korden*. Artem quoque sagittandi, præcipue cum balistis, omni tempore, loco & occasione, prosequebãtur: nam à primeua ætate parentes solliciti, filios suos instruebant, quomodo illi balistas, siue pedales arcus tenerent, eleuarẽt, deprimerent, vel aptarent in telis excutiendis. Atque tempore belli, ex omni iuuentute, delectos atq; robostissimos ante aciem collocabant, liberi coniuges parentes, sanctissimi pugnæ futuræ testes, adhibebantur in præliis, in quorum conspectu, aut gloriose vincere, aut cũ laude cadere, decorum erat. Ad matres, atque ad vxores vulnerati deferebantur, neque illæ numerare & irrigare plagas, formidabant, nullum plane fœmineæ mollitiei inditium aut signum præbentes. Nullas mæstas depromebant voces, non lachrimas, non gemitus, non eiulatus emittebant, sed pro communi patriæ causa, cæsos fœlices beatosq́ue appellabant, gaudebantq́ue quod non domi inter coniugum filiorum lamentationes obierint, sed foris in bello, inter hostium fremitus, hastarumq́ue fragorem atque strepitum. Neque defuit veteribus Frisiis memoria præclarissimorum factorum, quin & humi solebant

lebant recondere ſtatuas lapidum exciſorum, vbi quid præclare factum ab illis, conſtabat. Conſpicui colles fidem viſentibus præbent. Equidem adhuc hodie plurimis in locis Drenthiæ cernuntur mira compagine immenſa ſaxa oblonga, in modum ianuæ alicuius ſurſum tranſuerſumque, viribus quaſi gigantum, peraltiſſime erecta, & ſuperius ſtructa, præſertim duobus miliaribus à ciuitate Groninga ad pagum Rolde proficiſcendo & prope Anloe vulgari lingua nuncupata *duyffelskutte*, huiuſmodi videntur, quibus curioſus indagator procul dubio edocebitur, propter præclara maiorum ſuorum facta ac prælia, ibidem commiſſa, fuiſſe atque eſſe talia ingentia ſaxa erecta. Quo in loco Druſum Imperatorem Romanum ſua caſtra olim conſtituiſſe, & à FRISIIS pulſum, proditum memoriæ eſt, de quo execrationis vocabulum prodiit, vt in deteſtationem rei peſſimæ vulgus dicat, *dat dij die drues*. Fertur etiam relatione fide dignorum, mulierculas FRISONICAS belligeraturas, cum viris ſuis prodiiſſe, ac inclinatam iam aciem atque labentem, aliquando illarum hortatu, reſtitutam: Quippe non ſolum mutua exhortatione ſeſe fouebant, ſed & viros ipſos ad arma capienda, inflammabant. Hinc multi credunt aliquid

quid

iid ſancti prouidique fæminis ineſſe ea-
mque conſilia propterea non eſſe aſper-
nda. Fama, per manus tradita, à noſtris
aioribus ad nos peruenit, oppidum Leo-
rdiam Friſiæ Occidentalis, olim in die Si-
onis & Iudæ à mulieribus (viris deficien-
bus) defenſam: atque dum res in exitium
uitatis ageretur, neglecta ſexus fragilitate,
rili audacia, arma repente corripuiſſe, &
credibile animorum fortitudine, mœnia
nſcendiſſe, tantoque impetu in hoſtes ir-
iiſſe, vt ipſe tandem multo pudore affecti
que confuſi, fugam capere, compelleren-
ır, atque ita tandem hoſtibus repulſis, re-
peratam fuiſſe ciuitatem, quarum re-
ım annua memoria apud Leouardienſes
ıeo tempore perdurauit Sed hæc tradi-
magis fama quam cognita referuntur,
on enim habentur in vllis annalibus,
uamuis tamen multa ſunt, hic & vbique
rrarum geſta, ac facta quæ apud Hiſto-
ographos non inueniuntur, quare fidem
rbiter penſet.

CAPVT IX.

FRiſones non indigenas (vt quidam vo-
lunt) ſed aduenas eſſe, ſicut cæteras om-
es Germaniæ nationes, nulli hominum eſt

dubium, sed à quibus exorti; aut vnde egressi, quoue tempore ad hanc, quam nunc incolunt terram, venerunt: ad liquidum reperire non potui. Itaque ad primam eius originem recurrere, non solum mihi, sed & fortasse aliis doctioribus impossibile foret. Vellem itaq; hanc scribendi prouinciam in alterius cuiuspiam humeros potius, quã in meos impositam fuisse, quum fortasse multi inueniantur, quibus hæc mea scripta non satis placebunt. Sed huiusmodi obtrectatores non curo, nisi meliora dederint mihi satis est, etiamsi non omnibus, vt saltem placeam Frisiis conterraneis meis, in quorum gratiam hæc conscripsi, nemo enim vnquam omnibus placuit. Ceterum ego ita ab adolescentia mea sum instructus, atque etiam in annalibus Frisiæ similiter inueni, originem Frisonium, Saxonum, & Brunsuicensium à tribus fratribus, scilicet Frisone, Saxone, atque Brunone descendisse, eosq; fratres vno eodemque tempore, ad has quas nunc incolunt terras, peruenisse: vbi acceperũt singuli possessionem vacuam, in quibus veluti aduenæ habitabant, ac suis hæredibus perpetuo habitandas, tradiderunt. Saxo ad terram in qua nunc Staden & Bardevvyck est sita, declinauit: atq; ibidem paulatim accrescendo, gentem constituit Saxonicam, quæ & postea sic dicta est, & in hodiernum diem perdurat.

Bruno vero, circa Vesaram fluuium primo habitare cœpit, vbi etiam castrum magnum scilicet Brunsvvick, fundauit, & creuit in gentem magnam. Friso vero occupauit insulas inferiores, à quo Frisonica gens, cum terra sua, nomen ac originem fertur traxisse. Ab ea ergo memoria, sumendum est principium scribendi Publica fides patrię historiæ habet, hos prædictos fratres profectos ex Insula quadam Indiæ nomine Frisa, ac longa nauium profectione, ad has nostras terras, eodem tempore peruenisse. Sunt etiam, qui Frisiam habere appellationem scribunt à Frisone Clodij regis Francorũ filio, quemadmodum Iohãnes Trithemius Abbas Spanhemẽsis ex Hunibaldo probat, ad has, quas nunc incolunt terras venisse, quum tamen Saxonum ac Frisonum Cronica, de gente à qua exordium sumpserunt, non parum discrepare, videntur. Si enim de suo ortu Chronica Frisonum (omissis aliis) tantum loquerentur, non multo labore opus esset, cum satis multa de his & similibus, apud Frisios loquuntur ac habentur. Nunc vero cum de aliis etiã, (à quibus tamen discrepare nonnihil videntur) mentionem faciant, necessarium videtur, aut vnius gẽtis Chronica, (spretis aliis omnibus) sequi, aut saltem diuersa concordare, atq; ad vnum veritatis stylum, redigere. Quod scilicet facere, sicuti primũ

est valde temerarium, ita alterũ laboriosum nimis videtur. Ponã igitur pro captu mei ingenioli aliqua certa, quæ tam apud Saxones quàm Frisones de his, in Annalibus eorum, reseruantur, & ad manus meas peruenerunt: Atque vbi diuersa concordare nequiuero, lectoris iudicio relinquam, vt quam voluerit partem, sequatur: quare etiam hanc protestationem primo præmittere volui. De ortu Frisiorum, duæ inueniuntur editiones apud Frisios, patrio sermone conscriptæ, nõ tamen omnino inter sese cõcordes, quarum singulas hic ponere curabo. Vna dicit quod temporibus beati Apostoli Thomæ, quum scilicet is Indiam ad fidem Iesu Christi conuertisset, tres fratres Brunonem, Saxonem, atque Frisonem propter eorum excessus atque delicta, ab India, cum tota eorum progenie fuisse relegatos atque proscriptos. Quorum fratrum nouissimus scilicet Friso, cum suis cœpit Frisiam incolere, atque à se Frisiam denominare. Altera vero editio, de origine ac ortu Frisonum, haberi videtur in speculo Saxonum, libro 3. cap. 43. vbi dicitur, quod in exercitu Alexandri Magni, fuerunt multi milites, cum rege vel principe Siciliæ, qui præfatum Alexandrum iuuabant. Victo igitur Dario rege Persarum, subiugauere totam deinde Orientem, quique post immaturam mortem Alexandri, non audẽtes in-

tes in

tes in Asia remanere, (quia ibi omnibus odiosi erant) impleuerunt de rapinis & spoliis, quæ acceperant, trecentas biremes, atque quęrendarum sedium causa, pergebant versus Europam, quæ naues omnes propter imperitiã artis nauticæ in mari submersæ sunt, exceptis tantum quadraginta quatuor, ex quibus octodecim venerunt in Prussiã, quæ tum erat terra inculta, & manserunt ibidem. Duodecim vero, terrã Rugiorum occupauere, ex quibus orti sunt Thitmarschi, Holsteri, & Hadalarinij: sed viginti quatuor ex iis, receperunt se in Saxoniam, quiq́ue (expulsis inde Turingis) possiderunt eam, hæc ibi. Cum autem Thitmaria sit ab antiquis temporibus pro Frisia habita, cum Hadalaria eos, qui hic memorantur cum Saxonibus de exercitu Alexandri Magni venisse, cõstet, profecto eosdem de eadem gente ortos fuisse apparet, atque paulo post mortem Alexandri, ad has quas nunc incolunt terras, peruenisse. Atque hæc contigerunt, circiter annos 400. & alia computatione quingẽtos, ante Christi saluatoris nostri incarnationẽ.

CAPVT X.

DE VVestphalia vero, quod illa sit eadẽ gens cum Saxonib⁹, nulli dubium est, nam & hoc eorum mores ac lingua indicant. Huic assertioni, etiam alludit Vene-

rabilis Beda, in ſuo Martyrologio; Et præterea etiam quidam vocāt VVeſtphalos, antiquos Friſones. Et Friſij in Chronicis antiquis vocantur ſæpe inferiores Saxones, vt patet manifeſtè ex Chronica Traiectenſi, atque ſimiliter ex Chronica Hollandiæ. Hoc itidem teſtatur Bartholomeus Anglicus, in libro de proprietatibus rerum, dicens. quod incolæ Friſiæ vocantur Saxones. Et ſic antiquitus tam VVeſtphalia, quam Friſia ſolet vocari Saxonia, ſortaſſe à fratre Saxone. Et quamuis hæ gētes, tam authoritatę ſpeculi Saxonum, quam traditione Friſonum, (vt ſupra ſatis patuit) ex Aſia veniſſe, dicantur: non tamen clarè potui inuenire, ex qua parte Aſiæ, aut ex qua prouincia aut Inſula, eiuſdē Aſiæ, deuenerint. Is enim libellus de ortu Friſicæ gētis intitulatus, patrioq́ue ſermone conſcriptus, dicit hos tres fratres, ex quadam Inſula nomine Friſa, cum omni ſua cognatione, & familia fuiſſe expulſos, atque nauigiis, ad has quas nunc incolunt terras, perueniſſe: quæ verba volunt probare, gētis Friſonicæ principia ex India manaſſe, non tamē dicunt inde originem traxiſſe: ideo pulchre alludūt prædicte opinioni, quod ſcilicet fuerunt de exercitu Alexandri Magni, vt nihilominus ex Aſia, Gręciæ magis contigua, deſcenderint. Credendum certe eſt, Alexandrum in omnibus prouinciis ac regnis iam deuictis, ſtrenuos

nuos

nuos quoque ac potentes viros, quos in ſuo exercitu, longo vſu ſibi fideles comprobauit, ipſo recedente, pro cuſtodia ac pręſidio, vbiq; reliquiſſe, vt ita populum nouiter deuictum ac ſubditum à rebellione (quæ facile oriri ſolet) compeſceret: atque etiam inter hos, tres prædictos fratres, cum eorum amicis, vni, aut pluribus Indiæ regionibus præfeciſſe, quique (mortuo rege Alexādro) expulſi ab Indianis rebellantibus (vt plerumq; contingere ſolet) quum iterum in Aſiam ad ſuos rediiſſent, eisque etiam, eo quod parti Alexandri, qui Gręcus erat nimium ſtuduiſſent, odioſi fuiſſent effecti. Quare inde etiā aſcenſis nauibus, fluctibus atque vento ſeſe committentes, vt nouas ac tutas ſibi acquirerent ſedes, ad has venerunt terras. Et ſic vtraque editio de quibus prædiximus, poteſt eſſe vera, quarum vna aſſerit ex Aſia altera ex India ad Aſiam veniſſe, & ſic confeſtim ex Aſia ſoluentes, verſus Europam nauigaſſe. Quamuis Kranthius hoc anile inuentum ac penitus ſomnium eſſe, dicat: Neque præſumendum eſt, quod principes Alexandri, copias militares dimiſerunt, cum inter ſeſe ciuilibus bellis de principatu contendebant, & ob id militares copias in precio habuiſſe, vt vel ſic tandem omnibus Indianis terrori atque formidini eſſent.

CAPVT XI.

NEc necesse est dicere, Frisios esse Grçcam sobolem, propterea quod de exercitu Alexandri Magni venisse, narrantur, vt vult pius Papa: nam si Grçci fuissent, vtique in pace in patria sua Grçcia scilicet, mansissent, neque (vt çstimo) suis odiosi fuissent, propter Alexandrum, cum & ipse Grçcus fuerat. Cæterum Alexandrum, deuicta Asia, sumpsisse ex ea milites, & duces auxiliares, facile crediderim, inter quos, & ipsi tres fratres, cum sua familia forte fuerunt, & quia nimia pertinacia, ac fauore adiuuerunt & defenderunt Alexandri partes, ideo post mortem eius, etiam suis inuisi, odiosique effecti. Simile quippe Iulius Cæsar, Titus Liuius, Suetonius, Cornelius Tacitus, cçterique clarissimi authores Romanos sæpe fecisse narrant, qui cum totum orbem terrarum vrbi Romæ subiecerint, de extremis Hispaniarum Galliarumq; finibus, nouas sibi legiones auxiliares, postquã deuicti atque subiecti fuissent, semper conscripserũt. Et alia editio, quç de origine Frisonum conscripta habetur, non multum ab his, quæ dicta sunt, discrepat, dicit namq; decem naues ex Asia versus Europam, vt sibi tandem nouas quærerent sedes, emissas: atque post multa maris pericula ad Hiberniæ insulam

primum

primum applicuiſſe, ibiq́; donatione Regis, accepto terræ inhabitationis loco, ad litus Oceani, tres manſiſſe naues, reliquas autem ſeptem vlterius nauigantes, donec ad oſtium Amaſi fluuij, vbi Oceano influit, peruenirent, quem ingreſſi, viderunt terram in vtraq; fluminis ora pinguem ac fructiferam, habitatores vero paucos, aut nullos. Quare nauibus iſti omnes egreſſi terram illam poſſiderunt, eamq́; coluerunt: ſucceſſuq́ue temporis multiplicati, terminos ſuos dilatauerunt, expulſis inde (ſi qui modo fuerũt) terræ habitatoribus, atq; vicinis: Atque ita deinceps omnem terram Friſicam, in ſeptem prouincias, aut vt melius patrio more loquar, Zelandias, diuiſerunt. Atque hæc quidem diſcretus ac beneuolus lector facile cum ſuperioribus concordare poteſt, quamuis certe, illa omnia nobis incerta ſint, atq; penuria, incuriaq́ue temporum ac ſcriptorum non ſatis relicta, inhilominus hæc quæ præſcripta ſunt, ſcrutanda atque trutinanda relinquo diſcretioni legentium, vt quidquid ipſemet velit, eiq́ue verum eſſe videatur, ſequatur. Cum aliud præterea nihil de origine gentis Friſonicæ, tam apud Friſios ipſos, quàm apud Saxones, quod certum atque verum ſit, inuenire potui.

CAPVT XII.

NVnc prætereundum non videtur, neque à propoſita hiſtoria alienum eſſe opinionem quorundam Hiſtoriographorum, referre, dicentiũ Friſones poſt captam Ieroſolymam à Iudæis tunc diuenditis, atque per orbem terrarum diſperſis, ſumpſiſſe exordium: inter quos inuenio Venerabilem patrem Regnerum Chartuſianum, ciuitatis Colonienſis, virum ſane præ cęteris omnibus de hac materia ſcribentibus doctrina ac eloquentia inſignem, qui profecto perquam elegantem tractatum, de origine, laude, ac illuſtribus viris gentis Friſonicę duobus doctoribus Gronnigenſibus, ſcilicet D. Hermanno Eeldervvolt, ſacræ Theologię profeſſori, ac Eccleſiæ beatæ Marię virginis paſtori, ac Magiſtro Iacobo Spyk de Colonia medicinæ Doctori, dedicauit. In quo tractatu de origine Friſonum, ſic incipit: Rerum tranſeuntium (inquit) poſtulat ordo, vt ipſam originem Friſonũ, quantum poſſibilitas adminiſtrat, perquiramus, ne omnia quaſi ex inſufficienti inchoaſſe, videamur: partem quidem in libris legendo didici, quod Anno domini 77. tempore Veſpaniani Imperatoris, duæ gentes in orbe ſpectabiles, valde humiliatæ & afflictæ fuerunt: Prima erat Hebraica, & ſecunda erat Picta-

Pictauica. Et postquam causam atque ordinem afflictionis & destructionis prædictarum gentium ad longũ supradictus author posuit, ad nostrum propositũ sic subiungit. Quum igitur miseranda clades Hebraicam gentem sic attriuisset, Titus misericordia motus, duas phalanges neci subtraxit, & eis regiones inhabitabiles in Alemania tradidit præcipiens ne alibi morarētur, aut alicui populo qualiscumq; linguæ aut nationis iungerentur. Valde enim timebant Romani, ne populus seditionib9 assuetus, prouincias inficeret, & ita nouam tribulationẽ Reipub. inferret. Dicunt nonnulli quod Titus hoc ideo fecerit, vt mitiorẽ iis mortem inferret, quia suspicabatur, quod in illis locis, (si tamen illuc peruenirent) non diu viuere possent, tũ propter famem & miseriam, quam in obsidione Hierosolymitana sustinuerant, tum propter necessariorum carentiam, & locorum ineptitudinem, quæ tum humano incolatui inconueniens, deserta, horrida omnino, & inculta, iacebat. Remotissima igitur peregrinatione cum iubilo grandi suscepta, venerunt tandem post longam peregrinationem ad Alpes montes niuеos, ad quorum radices pene inhabitabiles, deputata fuit prima turma, prędictorum exulum, qui distant à Hierusalẽ iuxta vulgarem computum, vltra septuaginta dietas, per vias difficiles, per

nemora, paludes, montes, deserta, & alia plurima incommoda viatoribus satis nota. Venientes autem ad loca ibidem deputata, inuenerunt eandem terram sterilé, incultam, niueam, montosam, petrosam, & ad sementem omnino ineptam: & vt breuiter dicam, nihil prẹter imaginem mortis præferentem. Cæterum præualuit necessitas contra mortem, ita vt ipsorum industria fugarent omnes incommoditates, nam labore atque sudore totam tẹrram fœcundam spectabilemq́ue fecerunt, vt certe hospitibus aduentantibus viderétur Paradisum aliquem terrestrem, præparasse: sic enim omnia mutat instantia peruigilis curẹ, & diuturni laboris. Atq; successiuis téporibus, ita in eadem terra conualuerunt, sic eam tenuerunt, defenderunt, & sibi in ea complacuerunt, vt etiam parati modo sint in præsentem vsque diem, corpus ac totam substantiam pro libertate, exponere. Qualis autem fuerit gleba eius, ex hoc prẹtendi potest, quod plures sunt districtus eius, in quibus incolẹ panem nunquam gustauerunt, & qui foris nunquam exeunt, & quid sit panis ignorant: fœnum ibi pro summis diuitiis autumant, ex quo bestias suas nutriunt, vt sic lac, serum, & caseos habere, quibus vitam transigere, & se sustentare, possent: niues ibi nunquam desunt, frigora abundant, atque commoda huius vitæ

& de-

& deliciæ, ac queq; pretiosa ibi ignorantur. Veruntamen in quibusdam locis sunt aliquæ ciuitates satis opulẽtæ, & sensatus populus. Et isti nũc Heluetij, siue patrio nomine *Zvvytzers*, vocantur. Terra ipsa Zvvitzea, dicitur. Manentibus autem istis in terra hac montosa, vti iam diximus, cæteri exules profecti sunt ad loca sibi deputata, videlicet, ad littus Oceani Septentrionalis, quod extenditur ad fines veterum Saxonum, & nouorũ, in longum. Fuit namque ista terra valde aquosa, paludinosa, cœlo aspera, & deformis, ita vt tam propter fluctus & inundationes maritimas, quam piratarum incursiones periculosa, nulla spes videbatur, posse ibi aliquãdo homines commorari, præsertim propter intensum frigus, flante scilicet ibidem crebro Borea in illis locis. Sed quemadmodum superius dictum est de Zvvytzeris, sic & de his constat factum fuisse, quum amor vitæ, & labor improbus omnia vincat. Vnde factis aggeribus multisque aquæ ductibus, contra fluctus marinos, qui inter diem & noctem ibi crescunt, atque decrescunt, fossisq; pluribus adaptatis, ad exsiccandos sulcos, cęperunt terram erigere, & confidenter procedere, eamque varijs arborum, cęterarumque plantarum generibus, excolere, vallis, irriguis pratis, hortisq; amœnissimis decorare, donec tandem miseratione diuina mare cõpesce-

pescerent, & terram homines suis vsibus coaptarent Ita vt vere dici potest de ea, bonam materiam sæpe cessare sine artifice, & dicta est terra sic deinceps vulgato nomine Frisia, quasi frigida, vt quibusdam videtur, propter scilicet magnum frigus, quod in ea solet esse, ob causas supra dictas. Hæc author supra dictus in forma verborum allegat: quorum verborum nonnulla (ad rem non facientia) breuitatis causa, à nobis vltro prætermissa sunt. Cuius equidē sententię non accedimus, sed eam omnino fabulosam, ac vt incertam, vna cum authore eiusdem, reijcimus; atque hoc quidem testimonijs probatissimorum authorum, quos in sequenti capitulo, introducemus.

CAPVT XIII.

NVnc igitur paucis huic opinioni, atq; errori prædicti authoris respondendum erit, eamque refutare nobis non erit difficile. An vero dictus Regnerus, de origine huiusmodi Frisonum scribens, primus fuerit author, quod ipsemet fatetur, ac etiam quod aliqua ab aliis audita conscripserit, vnde alij inde scribentes, eum sequuti sint. An vero hęc ipsemet legendo didicerit, & sic alios sit secutus, incertum est, vtrum tamen illud sit, constat hanc suam opinionē esse falsam, ac longe diu ante eadem tempora Fri-

ra Frisiam ab hominibus habitatam atque cultam fuisse. Atque vt vanitatem & indignam huius scriptoris ignorãtiam ostendam, probat Cornelius Tacitus eques Romanus ac clarissimus Historiographus, qui tempore Titi ac Vespasiani floruit, dicens quarto libro Annalium in fine. Frisiorum nomẽ inter Germanos clarum. Item quod temporibus Tiberij Cæsaris, Frisij transrhenanus populus, pacem exuere, nostræ magis auaritiæ, quam obsequij impatientes. Tributum iis iusserat Drusus modicum, pro angustia rerum, vt in vsus militares coria boum penderent, non in tanta cuiusque cura, quæ formido, quæ mensura, donec Olemnius è primipilaribus regendis Frisiis impositus, vrorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id Frisiis arduum, primo boues, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum seruitio tradenda, putabant. Hinc irę & quæstus, & postquam non subueniebat remedium, ex bello rapti qui tributo aderant milites patibulo affixi. Olẽnius infensus fuga peruenit, receptus Castello cui nomẽ Fleuum, haud spernenda iis ciuium sociorumq; manus littoris Oceani præsidebat. Quod vbi L. Apronio inferioris Germaniæ proprætori cognitum fuit, vexilla legionum ex superiori prouincia peditum & equitum, auxiliares delectos quosque acciuit, ac simul

vtrum.

vtrumq; exercitum Rheno deuectum, Frisijs intulit, subito iam ea illi obsidio & ad sua tutanda, digressis Frisiis, mox superaddit, tandem prorumpunt Frisij ante alios, atque acri pugna, hoste pulso, recipiunt cohortes, aliasque fessas vulneribus. Neque dux Romanus vltus est aut corpora humauit, quanquam multi tribunorum præfectorumque, & insignes Centuriones occidissent. Clarum inde inter Germanos, Frisonũ nomẽ extitit. hæc ille, & alibi, libro duodecimo Augustæ Historiæ. Quod natio Frisonum, sub Diuo Claudio Imperatore, per rebellionem clade L. Apronij capta infensa, aut mala fide datis obsidibus consedit apud agros à Corbulone descriptos. Et idem lib. decimotertio Annalium, commemorat Frisios sub Nerone Imperatore, nouos inuasisse agros, & duos legatos ex Frisia, Romam venisse. Veritum & Malorogem, qui Pompei Theatrum intrantes, quum vidissent quosdam cultu externo inter Senatores sedere, & intellexissent, id honoris earum gẽtium legatis dari, qui virtute & amicitia Romana præcellerent, nullos mortalium aut armis aut fide ante Frisios esse exclamauerunt, ac digredientes inter Patres considere: ob quam rem Nero etiam ambos ciuitate donauit. hæc ille. Itaque satis constat, quod hi duo Imperatores præcesserunt destructionem Hierosolymitanorum,

atque

ẽque ipſos præfatos Titum ac Veſpaſianum: nam Imperator miſit primo Veſpaſianũ cum exercitu ad Hieroſolymam deſtruendam, & deſtructa eſt anno ſecundo Veſpaſiani, qui erat tertius poſt obitum Neronis, & tunc ſtatim facta eſt diſperſio Iudęorum. Et lib. 20. ibidem. Cornelius Tacitus dicit Friſios eſſe transrhenanam gentẽ, quos adiũctos Caninefatibus, ipſo imperante Veſpaſiano, memorat rebellaſſe Romanis, & hoc ante captam Hieroſolymam & diſperſionem Iudęorum. Ex quibus omnibus & veriſimiliora dicentibus, nos liquido colligimus, Friſones diu ante tempora Titi Romanorum Imperatoris, & deſtructionis Hieroſolymitanæ, Iudęorumque diſperſionis, & armis ac viribus claruiſſe, nomẽque Friſiorum ignotum omnino non fuiſſe, atque eandem terram quam modo incolunt, poſſediſſe. Quæ omnia ex ipſis literarum monumentis, eam ob rem, aliquãto fuſius addidi, ac adduxi, quò maior fides noſtræ Hiſtoriæ ineſſet. Igitur illud ex prædictis authoribus adductum, probatur eſſe falſum, quod ſcilicet prædictus Carthuſienſis, & alij quidam dicunt, Friſones ſemper & vſque ad Caroli Magni tempora, ſub graui vixiſſe ſeruitute: & nec armis, neque bellis propter duram & diutinam ſubiectionem atque ſeruitutem, fuiſſe aptos & aſſuetos. Si enim tam imbecilles, tamque deſpecti

(vt di-

(vt dicitur) Frisones fuissent, quomodo ergo tam sæpe vicinas impugnassent nationes & Romanis (qui toto fere orbi dominabantur) bellum ausi fuissent inferre? vel saltem contra eos pugnassent? Legitur enim apud probatos authores, Saxones in Oceani littore supra Rhenum sedentes, id est, Frisones Romanum Imperium aliquando incursasse, neque superari potuisse aut debellari, quia paludes intransibiles, inhabitarent. Hęc itaque candidissime lector, diutius quam vellem deduxi; vt certe errores multorum, multa fabulose scribētium, dimouerem, sunt enim qui magno flatu se historias omnes pernoscere gloriantur: exosculantes hanc fabellam prædictã eamque turgentibus ac plenis buccis veram esse, affirmant.

CAPVT XIIII.

SI autē Frisones aliquando ex Iudæis progenati sunt, vt aliqui non absque maxima præsumptione asserere volunt, eo quod (quemadmodum Iudæi) in armentis opes suas habent, auro argentoque abundent, atque ea gestare soliti sint, vti & in hodiernum diem apud Frisones fieri videtur. Insuper quod quoq; multa propria nomina tam virorum quam mulierum, & hoc seculo apud Frisones audimus, quæ diligens lector facile in veteri Testamēto descripta inuenire potest.

Tum etiam, quòd in idiomate Friſico, multa verba ſint, quæ apud Friſones lingua proferuntur eadem. Et apud Hebręos in eodem ſignificatu olim fuiſſe, & adhuc eſſe conſtat, quorum vnum ex gratia referre non incongruum eſſe arbitror: videlicet de Petro, qui fuerit Bar-Ioua, id eſt filius Ionæ: & apud Friſios *Bern*, puer dicitur. Hi inquam volunt, quod cum diluuium inundaſſet totã terrã, ſub firmamento cæli, ac arca Noë ſuper omnes montes in aqua ferrebatur, in qua Noë cum ſuis erat incluſus, tandem cum aquæ minuerentur, terraque ſiccaretur, eo tempore Noë vnum de filijs ſuis, nunc huc, nunc illuc in locis, in quibus tum arca appulerat, cum ſua coniuge ac liberis, depoſuiſſet, qui ſic forte etiam ad littus Oceani appulſus, vnum de filijs ibi reliquiſſe, piè aſſerere volũt. Ioſephus etiam in libro de antiquitate Iudaica, cõtra Manethonem, & Appionem grammaticum declarat Iudaicos mores, quib⁹, vt dixi, valde familiantur Friſiorum mores, & hodie mulierum Hebræarum veterum. Etſi cuncta iam de Hebræis dicta recte examinẽtur, & ad varias hominum opiniones reſoluantur, inuenies Friſiam fuiſſe (licet non ſub eodem nomine) longe ante Hebræam habitatam. Sunt autem Hebræi dicti ab Heber, vel vt alijs placet, ab Abraham, vndecunque dicuntur Hebręi, & originem ſuam habeant

ac ducant ab Aſſyrijs & Chaldæis, quod Mo-
ſes, & Ioſephus ingenuè fatentur. Nam Moy-
ſes clare dicit in ſacris Biblijs Abrahamun
veniſſe ex Hur Chaldæorum, & Ioſephu
contra Appionem, & alibi appellat Aſſyrio
& Chaldæos patres Hebræorum, ex quibu
Aſſyrijs, Friſicam gentem ante Abrahamum
imo & ante Heber, ſuam originem traxiſſ
conſtat. Quod idem declarat Beroſus Aſ-
ſyricus grauiſſimus author lib. 4. de antiqui-
tatibus, ita ſcribens, ꝙ tempore primi regi
Babyloniæ, cõſtituit Noë in Europa regem
Sarmatiæ, Tuiſconem filium ſuum primo-
genitum, cuius dominium tendebatur à Tha-
nai fluuio, vſque ad Rhenum. Idem Beroſu
lib. quinto dicit, quod temporibus Nini ter-
tij regis Babyloniæ, anno imperij ſui quar-
to, Tuiſco Gigas Sermatas legibus firmat a-
pud Rhenum, ex quo conſtat Teutones ſic
appellatos à Tuiſcone filio Noë. Et pro eo
notandum Tuiſconem fuiſſe filium natura-
lem Iapeti, ſiue Iaphet, quem Tuiſconem
Noe aut Ianus auus eius adoptauit, præ om-
nibus nepotibus ſuis in filium, & propterea
apud Beroſum ponitur in arbore Noë ſiue
Iani, aui ſui, & non in arbore Iapeti. Deinde
eſt notandum, quod Tuiſcon fuit pater Sar-
matarum, vt patet ex eodem prædicto Bero-
ſo, quia à Noe vel à Iano, creatus Sarmatia
Rex, miſſus eſt Coloniam, vbi tandem mul-
tipli-

iplicatus misit ex suis familijs ad singulas prouincias, iuxta magnitudinem regnorum (additis quandoque aliis ex alia familia) vt quia Sarmatia à Thanai fluuio ad Rhenum vsque lata, & eadem magna prouincia, non potuit bene coli per familiam Tuisconis, hinc iuncti sunt illi omnes filij istorum Heroęorum. Vbi tandem dispalati, & per terras dispersi, nomina à locis acceperunt. Vide his plura apud præfatum Berosum, in quarto lib. Ex quibus constat, quod Iudæi ad Frisiã aduenticij, non loco nomen dederunt, sed à loco nomen acceperunt. Potest ergo esse, quod aliquis potens circa illum locum frigidum, à filiis Tuisconis descendens, habitauerit: qui in obsequium Imperatoris venerat ad obsidionem Hierosolymæ, sicut tunc consuetum fuit, & ab hoc Frisonicum nomẽ splendidum esse factum. Veniam ergo candide Lector, tribue mihi scribenti, quod lacerandæ fabulæ diutius quàm par est, imo moror: nam ego tibi super his rebus, meam aperio opinionem, tu ex his meliora, ac veritati propinquiora, conijcito, occasionem per ea consecutus perspiciendi, & magis verisimilia rimandi. Nam in rebus obscuris, vbi nulla ex Annalibus præcessere adiumenta, oportet ex probatissimis authoribus potius per coniecturam diuinare, quàm certis tradere.

CAPVT XV.

INuenitur etiam in Chronica Epiſcoporũ Traiectenſium Friſiam fuiſſe habitatam anno ante Natiuitatẽ Chriſti, nongenteſimo, eodem ferme tempore, quo Samuel iudicauit in Iſrael. Notatur enim apud Euſebium Cæſarienſem Samuelem iudicaſſe in Iſrael anno mundi 4084. Chriſtum vero natum fuiſſe de Maria virgine, vna ſupputatione anno creati mundi 5199. alia ſupputatione 5100. Si ergo ijs temporibus, quibus Samuel iudicauit in Iſrael, fuit habitata Friſia, ergo non ſolum nongenteſimo anno, ſed milleſimo centeſimo decimo quinto anno, ante natiuitatem Chriſti Friſia fuit habitata. In eiſdẽ etiã Chronicis inuenitur Friſiam illis temporibus fuiſſe binominam, nam ab aliis dicebatur Friſia, & ab alijs Saxonia inferior appellabatur. Quod ſi Friſones in principio gentium, & multis deinde ſequentibus annis, binomij fuerunt, hoc claret ſatis in Hiſtorijs & Chronicis Britonum, quos nũc Anglos vocamus. Nam hoc nomen *Engellandt* acceperũt à quodam Engiſto Friſone, ex regio ſanguine Friſonũ, nato: quiq; anno à Chriſto nato, 385. atq; teſte venerabili Beda, anno Chriſti 449. in ſubſidium Vortegeci ſeu Vortigerni regis Britanniæ accitus, quum à Scotis atque Pictis bello premerentur, neque vlla ſupereſſet

et ſpes auxilij à Romanis, externumq́; quæ-
rens auxilium nempe Friſiorum, quorum
auxilio hoſtes exturbare poſſit, appulſus eſt
Engiſtus, cum tribus longis nauibus, & mag-
na multitudine Friſiorum, in orientali par-
te inſulæ Britãniæ, ac liberauit regem àb ho-
ſtium obſidione, & vexatione. Engiſtus vero
dux eorum, iubente rege, manendi locum
quaſi pro patria pugnaturus eligeret, re autẽ
vera, ambitione ductus hanc expugnaturus
ſuſcepit: ac tandem conſilium iniens occul-
tum, de inuadendo imperio, dolo regem
Vortigernũ circumueniens, multos ex nobi-
litate Britannorum interfecit: atque ſic ob-
tinuit Britanniæ regnum. Et ita ſuccedens
Vortigerno regi in imperio, procurauit pro-
uinciæ cui præerat, nomen ſuum aptandum,
& ſic deinceps regnum illud Britanniæ à ſe
vulgari nomine *Engeſlandt*, dictum eſt, & po-
ſtea corrupto vocabulo, Engelant, pro vt in-
ferius etiam clarius ſuo loco dicetur. Hic En
giſtus habuit fratrem nomine, vt quidã tra-
dunt, Horſa, & fuerunt filij Vetgilti, cuius
pater Vitta, cuius pater Vecta, cuius pater
Veden, de cuius ſtirpe multæ prouinciæ ac
regna, ſuum genus atque originem duxerũt,
vt nonnulli putant. Sunt qui ſcribunt, me-
moratum Engiſtum pro exhibito obſequio
à rege poſtulaſſe dominium quoddam in il-
lo regno, quod cum Rex renueret iterum

postulauit, vt tantum sibi loci vel spacij in terra concederet, quantum equino tergore complecti, & per girum circumscribere possit, in quo pro voto suo quoddam erigeret ædificium. Hoc autẽ si à rege impetrato, paruas preces esse existimans, exiguum quoddã magnæ rei loco expeti, gratulatus est rex, ratus per quam breue tergus paululum agrorũ occupaturum: sed Engestus accepto corio, discidit illud in paruas ac exiles corrigias siue particulas, & adiens locum istum, quem antea elegerat, complexus est permagnum terræ spatium, atque extructo in eo castello, vocauit illud Corrigiam, & vulgari gentis lingua *lanckxaster*: atque sic Frisij paulatim grandescentes, pulsis hostibus, finitimorum sedibus infesti, arma vertere cęperunt in socios Britannos, eorũ ciuitates ac agros depopulantes, ab Orientali mari vsque ad Occidentale (nullo prohibente) suum continuantes incendium, destruentes omnia ædificia tam publica quàm priuata, trucidantes etiã passim inter altaria sacerdotes, præsules ac primores terræ vario genere mortis (sine vllo respectu honoris ac ætatis) ferro ac flamma eis consumentes: Neque erat qui ita crudeliter interemptos sepelire audebat. Quare nonnulli fame confecti, manus hostibus dabant pro alimentorum subsidiis, etiam æternum seruitium subituri: nonnulli etiam

de

de miserandis reliquiis, ad montes confugientes, atque ibidem comprehensi, accruatim iugulabantur, aliqui etiam transmarinas regiones petebant, alii pacem præstolantes, in sua patria pauperem ac infelicem vitam degentes, in montibus, saxis, cauernis, siluis abditisque locis, tristi ac mœsta semper mente, habitabant. Sic itaque summa rerum in Britannia potitis Frisonibus, ad sua propria loca reuersis, Britanni ex suis cauernis & speluncis quibus abditi atque absconditi fuerant, emergebant; & paulatim vires animosq; resumẽtes, duce Ambrosio Aureliano viro modesto (quiq; solus Romanę gẽtis pręfatis temporibus superfuerat) renouãt bellum, Frisonesq; ad bellum vltro prouocant, nunc hi, nunc illi superiores existentes, vt tandem Deo fauente victoriam consecuti sint. hæc Beda lib. primo Anglicanæ historiæ. Sed quia hæc paulo lõgius, & fortasse extra materiam, descripsimus, propterea nobis redeundum est ad id, vnde digressi sumus. Apparet itaque clare ex iis, Frisiã, non ab Indianis, nõ etiam à Iudæis dispersis in destructione Hierosolymitana primo fuisse denominatam atq; habitatã. Quod etiã ex eo satis claret, quia apud Stratonẽ, noti & nominati fuerũt Frisij: dicit enim certos insulares Frisios ex insula Birchmãnię (nũc vt opinor Borchũ vel Borckũ) ex ostiis Amasi fluuij, à Dru

ſo Germanico armis vexatos, & demũ ſuperatos. Hic vero Druſus ſecundũ Euſebium, anno Christi 24. vixit, venenoq; ſumpto perijt. Et præterea etiam Strabo, dicit circa tẽpora Christi ipſum vixiſſe, vt ſatis claret legenti eandem Geographiam. Item Plinius lib. 4. cap. 15. naturalis hiſtoriæ, & etiam alibi, ſępe meminit Friſiorum & Chaucorum, quare etiam Friſij tunc temporis noti fuerunt, & ſic Friſia fuit ante tempora ſcilicet Titi ac Veſpaſiani, terra certe valde præclara & cognita. Neminem ergo tam difficilem fore ſpero, quin pro certo credat, neque in re tam clara dubitet, Anglos omnes à Friſonibus eſſe ortos, cum ex ſupradictis habeat ſufficiens argumentum fidei: & præterea etiam certiſſimum eſt, adhuc in hunc vſque diem, quamplurima verba Friſonica immiſceri in lingua Anglicana, ita vt fere cum Friſijs eodem vtantur idiomate. quemadmodum illis, qui vtramque loquelam ac linguam norunt, illud ſatis conſtat.

CAPVT XVI.

CONſtat etiam in hiſtorijs (teſte Sebaſtiano Mũſtero) quomodo ante Chriſtum natum, Friſij populi inferioris Germaniæ cum Cimbris ſiue Danis, in Heluetiam venerint, & ob inundationem Oceani iſtinc migrauerint cum magna multitu-

dine

dine,ac tãdem peruenerint ad Rhenum, traiectoque Rheno occupaſſe partem aliquam Galliæ, nempe oram maritimam, vbi nunc eſt Brabantia & Flandria. Sed cum nec terra illa ſatis commoda ijs eſſe videretur ad inhabitandum, relicta ea, ac peragrata tota deinceps Gallia, venerunt tandem ad Rhodanum, poſtulantes à Romanis, vt ſibi ſedes ad habitandum darentur, ſed repulſam paſſi à Senatu, armis Romanum imperium inuadere decreuerunt. Itaque expeditionem mouentes in Italiam, reliquerunt citra montes, omnem apparatum bellicum, quem tam ſubito intra montes deportare nequiuerũt, relictis ex deputatis, pro impedimentis illis cuſtodiendis, ſex millibus virorum. Interfecto autem eo agmine, quod montes tranſcenderat, & ingreſſus fuerat in Italiam, putabat Iulius Cæſar, ex reliquijs citra montes derelictis, natos Aduaticos, qui habitationem ſuã habuerunt iuxta montes Tigurinos, qui modo vocantur Vrani & Sueci. Vnde Hiſtorici commemorant quoſdam Friſios Cimbroſque, ſeu eorum reliquias, conſediſſe inter Heluetios. An vero longè poſt etiã ex Suetia, quidam venerunt in regionem Heluetiorum, à quibus Sueci, ſiue Suitceri dicti ſunt, non poteſt ſatis probari. Suetiorum enim ſiue Heluetiorum hiſtoriæ habent, nõ omnes qui nunc Suitzeri vocantur, vno &

eodem tempore in illis locis ſedes occupaſ-ſe. Et ſcribit Munſterus de his in hunc mo-dum, Tẽpore regis Suecorũ Sigeberti, atque Chriſtophori Comitis Friſiæ, auctus eſt po-pulus Septentrionalis in tantum numerum, vt cogerentur penuria victualium quærere alias ſedes. Collecta autem in Suecia ſex mil-lia, & in Friſia mille & ducenti viri, abſque mulieribus & pueris, quorum multo plures erant, turmatim patria ſunt egreſſi, venien-teſque ad Rhenum, prohibiti ſunt à Gallis, ne traiecto Rheno, partes eorum occuparẽt: contemnebant enim eos Galli, tanquam ho-mines otioſos, inertes ac inermes: nam humi cubabant, perinde quaſi nulla diſtinguerẽn-tur cura, æſtimabãtque eos ceu homines fu-gitiuos, & ad arma ineptos. At Sueui atque Friſones inter hæc conſiderantes ſuam pe-nuriam ac neceſſitatem, cogitabant etiam quid è re ſua eſſet, quomodo ſcilicet proui-derent ſuis vxoribus, parentibus, ac liberis, videbant etiam hoſtes ſuos parum eſſe ſolli-citos de ipſis, omninoque negligentes in ex-cubiis ſuis agendis, quare ex improuiſo ob-ruebant eos in caſtris interficiẽdo plurimos, optimamque & permagnam prædam abdu-cendo. Ex qua victoria ſtupefacti alij populi ac nationes, miſerũt legatos ſuos ad eos, qui interrogarent, quid hæc atque tanta facien-tes, in animo haberent? qui reſponderunt,

ſeſe nihil iniquè poſtulare, neque quemquam velle ledere, ſuoque loco expellere, petere ſaltem ſibi dari terras illas, quæ in illorum regione, vacuæ ac ocioſæ iacerent, ex quibus etiam illi nihil commoditatis perciperent, has terras ſeſe cupere ad habitandũ, citra vicinorum ſuorum detrimentum. Preterea etiam aſſerebant, ſeſe eo veniſſe, vt quietam tranquillamq; ducerent vitam, victumque ex cultu terræ quærerent, neminem moleſtarent, aut aliena contra ius & æquitatem ſibi vendicarent. Audientes vero incolæ, à peregrina gente tantum poſtulari nouas ſedes, facile eorum propoſito acquieuerunt, dederuntque iis poſtulata loca ad inhabitandum, montes & valles, fontes ac lacus, qualem faciem terræ, vſque in hodiernum diem adhuc habet inferior Heluetia. Hæc enim terra conſtat altiſſimis montibus, & profundis vallibus multiſque aquis. Nec tamen putabis candide lector, terram iſtam, ob id quia tota eſt montoſa, & in ſummis iugis montium perpetuam habens glaciem, ſterilitate aut penuria aliqua laborare, quaſi interim ea non etiã ſentiat aut habeat quoque largiſſimam manum Dei, qui & ex lapidibus poteſt efficere panem, & ex duriſſimis petris educere non tantum aquam, verum etiam & vinum generoſiſſimum ac optimum, vt in hac regione impleri,

videmus. Nam terra iſta per Friſios ac Cimbros multo labore & induſtria, melior & fertilior reddida ac effecta, modo ſic abundat vitibus, arboribus, frugibus, radicibus & herbis, vt die hodierna etiam multa hominum millia, victum ex ea ſibi parent, nec aliunde cōmeatum inuehāt, ſed ipſa etiam exteris ſępiſſime commeatum atque vitæ neceſſaria miniſtret. Siquidem nulla eſt terra tam deploratæ & malæ conditionis, quin ſi labor, induſtria atque cultura ei adhibeatur, melior ac fœcundior effici poteſt: quemadmodum & ſuperius ſatis dictum exiſtit. Et quãuis Munſterus eoſdem Cimbros fuiſſe commemorat, conſtat tamen in eam expeditionem coiuiſſe plures populos ex ſeptentrionalibus regionibus, & ante alios Friſones, Saxones, cum primario ſuo duce Chriſtoforo tamquam Cimbris valde vicinos. Cæterum propterea ſolos Cimbros fuiſſe nominatos apud Munſterum conijcio, quoniam Rex eorum Sigebertus, author eius expeditionis fuerit. Annales tamen Friſiorum nobis per manus à maioribus noſtris traditi, dicunt Heluetios ſiue Suitzeros, à militibus Friſonum, qui ſub Carolo magno aduerſus Romanos militabant, ortos fuiſſe: qui quum pertæſi fuiſſent alieni imperij (ad libertatē enim ſe natos arbitrabantur) in patriam reſpexére, & cum redirent ex militia, ſuperatis maxi-

maximis difficultatibus, per montes & terras, per bella & labores, per regna & nationes (alijs Frisonibus in Frisiam, qua aduenerant remeantibus) aberrauerunt, aliqui verò in montibus, donec quietum locum in Heluetia inuenirent, manserunt. Sunt etiam aliqui Historiographi, profectò eximiæ authoritatis, atq; fidei testes, qui referunt in exercitu horum Frisonũ etiam Sanctum Magnũ primarium ducem ac antesignanum fuisse. Sed res est antiqua & quasi exoleta, & quum quisque proprium adfert sui cordis figmentum, & vbique inuenitur scriptorum varietas atque inconstantia, propterea cuiuis lectori relinquimus hac de re suum iudicium & rationem. Quod si quis mauult diuersam sequi opinionem, id per me quidem illi erit integrum ac licitum.

De laudibus & moribus antiquorum Frisonum.

CAPVT XVII.

DIcturi aliqua de moribus & laude gentis Frisicæ, hoc primo notandum est, ꝙ Frisij (licet inter Germanos morentur & numerentur) plurimũ tamen habitu, lingua & moribus à Germanis differũt: nam proprium habent suum idioma, quod pauci Germanorũ intelligunt, paucioresq́ue imo

vix

vix ex mille vnus perfectè addiſcet, quorum tamen idioma caracteribus Germanicis probè ſcribi poteſt. Et quamuis peculiaris lingua ei genti eſt, tamen in tanta prouinciarum & Zelandiarum diſtantia, magnam varietatem habent, & in vnaquaq; Zelandia adeo imparibus & externis linguis, hic & alibi confuſius, loquuntur, vt aliquãdo mutuo ſeſe plane non intelligant, niſi is talis ſit, qui in omnibus Zelandiis ſit bene notus ac verſatus. In Occidentali vero Friſia eſt ſermo cultior & venuſtior, commercio externarum gentium indies magis ac magis excolitur. In Oriẽtali vero Friſia ſermo durior ac craſſior, rudiorque, vix reliquiis antiquæ linguæ Friſicæ ruricolas ſuperſunt. Quarum tamen vrbicolæ omnes humaniores, germanica lingua vtuntur, & apud paucos homines priſca lingua permanſit. Et vt ſuperius annotatum eſt, licet in Friſia, à multo tẽpore nullę omnino fuerint ciuitates, ſed pagi ac villæ frequentes, & idcirco vrbicolæ pauci, ſed omnes fere ruricolæ, qui ſeorſum diſcreti rura ſua colebant, ſicut occaſio locorum ac cãporum dederit: ſunt tamen præ cæteris Germaniæ ruſticis, Friſij, moribus & verbis valde vrbani ac compoſiti, imo ciuiles, ac humani erga extraneos: nam aduenas ſalutant capite denudato, alteroq; genu flexo, atque ad omne humanitatis officium paratiſſimi. Atque

que si ea persona mulier sit, excipiunt eam osculo, nullus illis fucus inest, simplicitatem ac veritatem omnem non amplectentes modo, verum re ipsa comprobantes: fidei enim omnis & amicitiæ sunt obseruãtissimi, atque externarum gentium æstimatores candidissimi. Summum enim semper apud illos nephas est habitum, fidei & amicitiæ vincula violare, citiusque illis vitam adimas, quàm non, quidquid sunt polliciti, præstare, vt recte dixeris de eis quod sequitur:

Quiq; fidem sancto, & constanti pectore seruant.

Tanta olim erat integritas antiquorum Frisiorum in contractibus, tantusq; candor & simplicitas, vt omni verbositate in fraudẽ emptoris omissa, vno tantum verbo, res ipsas diuenderent, atque quod in legibus, & contractibus magnam simplicitatem habuerint, ex eo argui potest, quod omnino non fuerint litigiosi: nam nec commissi, nec depositi vlla iura habebant, neque testibus, neque sigillis indigebant, sed simpliciter omnia credebant. Cæterum, honoris & gloriæ omnino erant auidi, in exornandis domibus magnifici, in supellectilibus mundi ac nitidi, vestibus ornati, auro argentoque abundantes præ cæteris nationibus. Viri Frisonici magnam præ sese ferunt grauitatem, atque matrimonia sua non opibus aut nobilitate, sed formæ præstantia & animi pro-

mi pro-

mi probitate, inter æquales, conciliant, liberorum magis, quàm voluptatis causa: vnde plerumque contingit, quod vix diues atque Nobilis, pauperem ducat vxorem, formosam: Alij vero viri vxores ducentes, eas thori socias, & pares laboris, non dominas, siue ad delicias, assumere consueuerunt. Neque quęrebatur dos, sed iugati boues aut vaccæ dabantur, & frenatus equus, & gladius acutus. Proinde apud eos non mulier viro, sed vir mulieri dotem assignabat, & coniugij societatem, non precio, sed filiorum charitate iungi, oportere: ne coniunx ob magnitudinem dotis insolens facta, aliquando ex placida cõsorte, maligna ac proterua euadat, ac in virum dominari contendat. Coniuges pręterea (viris vita defunctis) si non sint superstites liberi aliqui, cum dotalitio abeunt in ædes paternas, ita tamen vt intra annum luctus alio viro non nubant. Superiori adhuc ætate, siquando honesto adolescenti vxor quęrebatur, non de multa substantia, diuitijs, formæ elegantia, vel de multis iugeribus agrorum, quæstio erat, sed tantummodo, si esset honesta, proba & morata puella, cuius stirpis, cuius honoris, cuius famę, quæ adolescenti nuberet, diligenter inquirebatur. Sed hodie (proh dolor) hoc tãtum quæritur inter copulandos, quàm sint diuites, quam habeant vel expectent hęreditatem

tatem aliquando. iuxta illud Satyrici:
Protinus ad censum, de moribus vltima fiet
Quæstio, &c.

Imo nonnunquã placet superba, morosa, impudica, deformis, petulans, atque rixosa puella, si modo sit diues, si habeat multorum agrorum iugera, neque quæritur an sit bene nata, si sit modo bene nummata. Præterea præsentibus amicis & sanguine iũctis, duob⁹ scilicet ex paterna maternaq́; linea testibus adhibitis, parentes despondent natos, atq; hoc datis dextris & arra nectũtur, ac deinde statuto die, solenni pompa, magnoq́ue ornatu ad Ecclesiam Parochialem confluunt, vbi sponsa coronata, (magna multitudine virginum præcedente) adducitur, atque ante summum altare lateraliter cum sponso collocata, vtriusque consensu mutuæ cohabitationis, tã in prosperis quàm in aduersis requisito, per annuli impositionem, sacerdotali benedictione copulantur. Deinde instruuntur conuiuia alacria, accitis tympanis, fistulis, fyolis, lyris, & diuersorum instrumentorum generibus, vt conuiuantes hilariores reddantur, excitantur fere omnes cum ingenti alacritate ad saltum & choreas, & dimisso ordine per terram currunt. Inuitati ad nuptias raro pecuniam offerunt, munera tamen seu donaria, agnati & cognati, affines & amici, tantummodo sponsæ dant,

vt iis felicibus auſpiciis, incipiant ac perfici-
ent lętiorem cohabitationem, quæ omnia ac
ſingula ſponſus diligenter notata reponit:
ſequenti vero die, noua nupta ſponſa, crini-
bus peplo abſconſis, affabili inceſſu, conui-
uis ſcyphum electiore liquore repletum
in ſignum quod materfamilias effecta ſit, li-
beraliter alicui propinat. Mira præterea eſt
in fœminis Friſiorum pudicitia, atque valde
fœcundæ ſunt, neq; fucum aliquem ſciunt
neque ſcire etiam cupiunt, quemadmodum
exteræ mulieres in fucanda facie, edoctæ n
ſunt: numquam enim aliquo collyrio, mi
nio aut ceruſſa faciem ſuam deformant, ſe
ſuo natiuo colore, quem Deus & natura de
dit, contentæ ſunt. Fœmellæ omnes ad pu
dorem & ſobrium ornatum domeſticæ a
propriæ curæ educantur, non inerti ocio tē
pus effluere patiuntur, ſed domi aut nent
aut fila trahunt, aut labores domeſticos o
beunt, inque eam continuam operam & cu
ram agunt, aut panes aut ceruiſiam coquunt
aut cibos parant, proles ſuas ornant ac veſti
unt, lectos linteaminaque aptant. Non in ve
ſtibus precioſis, luxuriæ ac libidinis allectri
cibus, ſed in habitu ſimplici, tutioris pudi
citiæ incedunt, ne, quæ ſaltem laſciuiens, ſu
ſpitio exterius appareat, quod in mente cor
rupta, exæſtuat iniquus aſſenſus. Et caſtiſſi
mam illam Romanam Lucretiam iugite
imi

imitantes, lanæ texturæque deditæ, inter lubricantes ancillas mediis in ædibus commorantur. Rara in ea gente zelotypia inuenitur, ita vt vel mori malint, quàm ex vxoris parte, aliquam contumeliam ferre: nam in tam numerosa multitudine, rarissima adulteria fiunt. Nullum antiquitus apud Frisios flagitium grauius cẽsebatur, quàm adulterium, fidemque coniugalem violare. Cuius conuicta mulier, nudabatur coram propinquis, vulgatęque pudicitiæ pœnas dabat, absque vlla venia aut misericordia, neque ætas aut forma aut opes, coniugium frangentes, reconciliare poterat. Beatus Rhenanus li.3. rerum Germanicarum memorat, apud Anglos, Saxones, nempe Frisios moris fuisse, quod si virgo in paterna domo fuerit stuprata, vel aliqua matrona, adulterio polluta, strãgulatam illam cremari, violatorem vero supra sepulchri foueam suspendi, aut cingulotenus vestibus recisis, flagellari: castis matronis, oppidatim corp⁹ viri imperiũ parata, nunc hæc, nunc illa difficillima quæque domi ac foris administrans, negotia perinde ac si virilem fortitudinem haberet, quę dotis inopiam augeat, & grata parentibus sit, cuius sanguinem à nullo adultero vitiatum esse, suspicantur. Hæc etiam liberis commendatissima est, quibus nec de matre erubescendum vnquam, nec de patre est ambigendũ.

Quippe exploratum habent, ob vulgatam
fœminarum pudicitiam, ex ea susceptam
prolem, inter liberos minime fore collocan-
dam. Suam etiam quæque mater alit prolem
propriis vberibus, & quàm rarissime sub alte-
rius educantur mammis, aut nutricibus cō-
mittuntur, iuxta illud:

Vbera mammarum tribuit natura puellis
Natorum causa, non formæ siue decoris.

Serius in iuuenibus vsus Veneris, atque
eo minus exhausta pubertas existit, nec vir-
gines tam cito nubunt, vt validior fiat pro-
creatio. Antiquitus instituebatur iuuẽtus tam
nobilium quàm ignobilium hominum ad
honesta artificia addiscenda, à parentibus di-
sciplinam veluti hæreditariam sortiti. Ne-
mo premebatur aut cura aut metu, id quod
aluit staturam, roborauit vires, & confirma-
uit neruos eorum: nam nimius metus, & ni-
mia anxietas in iuuenibus, plurimum vires
corporis eneruat, & spiritus tristis exsiccat
ossa, vt dicit Ecclesiasticus, tantum abest, vt
huiusmodi corpora, in motu, dolore, timo-
re, & anxietate continua permanentia, incre-
menta iusta habere possint.

CAPVT XVIII.

EST præterea & alia non contemnenda
aut ridenda consuetudo, quamuis aliis
gentib⁹ rata, quā pro lege vel quasi ob-
seruant

ruāt, vt videlicet, quoties alicui patheram el poculū vino vel ceruiſia plenum propiāt, tum dicant ſua materna lingua, *het ghuldt le ffrye ffryſe*: & nō tradunt patherā, ſiue poium, niſi datis dexteris, cuiuſcunq; etiam onditionis, aut ſtatus, aut ſexus, fuerint: uique tum accipientes prædictum poculum, reſpondent eadem lingua, *ffier vvael ele rye ffriſe*, etſi perſonæ diſſimiles fuerint, aut træque fœminei ſexus, nihilominus addio oſculo, idem perficiunt: quem etiam moem, in hunc vſque diem Friſij pertinaciter etentum, obſeruant. Quæ res peregrinis uidem ſpectatoribus, plurimum admiraonis ſimul & delectationis, adfert. Neque ilud pro dedecore ducitur apud illos, nec ſupicio alicuius mali inde, aut ſcandalum exoitur, cum id conſuetum eſt illis, etiam in uacunque hominum frequentia ac multiudine facere: neque ſolummodo id in coniuiis factitant, ſed etiam, quando aliquis aicus, vicinus, aut quiuis alius notus (poſtuàm aliquamdiu abfuerit domo,) vel vxor ut cognata, obuiauerit illis, ſtatim datis dexris ſtringentes collum ipſius oſculabundi lutant. Et etiam ipſi homines externi, qui lias hanc conſuetudinem ridere ſolebant, um iam in Friſiam ex cauſa veniunt, illudſum cupidè (fortè delectationis gratia) mitantur. Præterea fuit recepta à Friſoni-

bus antiquitus consuetudo, vt neminem pro Frisone agnoscerent, nisi materna ac vulgari lingua dicere potuisset, *byrdt rae ryrn lyrre*. Itẽ quod sequitur, *Dyr is nin klyrik so krol als klyrikcãpster krol herede klyrik aller klyriken ys hy to krol.* Atque qui hæc verba iteratiuè absq; titubatione effari aut promere nõ poterat, aut saltẽ nimio pauore hiscebat aut balbutiebat, eum antiqui Frisij tanquam proditorẽ terræ, in vincula coniiciebant. Cęterũ de laude huius Frisicæ gentis multi laudatissimi & doctissimi viri, multa scripserunt, quorum tamen perpauca admodum ad nostras peruenere manus. Bartholomęus Anglicus, & Anthonius Sabellicus, libro scilicet octauo, de Frisia ita scriptum, posteris suis reliquerunt: Gens Frisonũ, est valdè ferox, audax, armis exercitata, robusta & proceri corporis, & intrepidi ac fortis animi, agilis quidem corpore, lanceis ferreis vtẽs pro sagittis. Terra ipsa plana est, pascuosa, palustris ac graminosa, lignis carens. pro ignium fomento, terreis cespitibus bituminosis, aut boum exsiccatis stercoribus sæpe vtens: gens inquam libera, suis vtens moribus, exteris nec parere sustinet, nec dominari cupit: morti exponit se pro libertate, potiusque mortem diligit, quàm seruitutis iugo se opprimi, ideo etiam dignitates obeunt militares, nec alios inter se in sublime permittunt, sub militiæ titulo. Subter

tamen

tamen iudicibus, quos annuatim de se ipsis eligunt, quique Remp. ex æquo iure disponunt, reguntur. Viri fere omnes circulariter in coma sunt attonsi, qui quanto sunt nobiliores, tanto altius circumtondi gloriosius arbitrantur. Castitatem multum colunt, & fœminarum impudicitiam seuerius puniunt, filios suos atque filias, vsque ad completum fere adolescentiæ annum, castos seruant, ex quo contingit, quod temporis dati nuptui, ipsorum soboles, prolem completam, robustam ac magnam, generent. Nam qui meretricio non se abstinet congressu, is perbelle iam demonstrat, se non liberorum procreationi, sed voluptati studeri. Hæc habet præfatus Bartholomęus Anglicus in libro de proprietatibus rerum. Et hoc quidem ita ad pręsentē diem apud Frisios seruatum fuit, exceptis paucis, quæ temporū diuturnitate, vel paululum immutata, vel penitus abrogata sunt. Nam in primis præfatus ille Bartholomęus dicit, viros ferè omnes, & pręcipuè nobiles in coma circulariter attonsos, quod tamen hodierno tempore omnino verum non est, quia nunc ferè omnes viri, promissis & longis barbis vtuntur, & comam nutriunt. Nemo tamen mihi vicio vertere debet, ꝙ hæc ita vt in antiquis libris inueni, meis scriptis inserui: quum & maioribus nostris id peculiare fuit, & nobilibus

præſertim à Carolo Magno conſtitutum, vt ſatis patet in eiſdem libertatis priuilegiis à prædicto Carolo Friſonibus datis: cum & hi ante & circa Chriſti Saluatoris noſtri natiuitatem, fuerunt antiquorum Friſiorum mores ac conſuetudines. Verum enimuero hodierno die, non ſolum Friſones, ſed & omnes fere nationes à prioribus moribus degenerantes, commercione aliarum gentium, quibus coniunctæ ſunt, ſeſe conformes ſemper fecerunt, & quod dolendum (proh dolor) eſt, plerunque in peius mutatæ ſunt.

CAPVT XIX.

ET licet Friſij feroces & ſinceri eſſe dicantur, magnoque præditi animo, in hoſtes tantum, & non indifferenter in omnes, (candide lector) hoc dictum velim intelligas: quum alias ſingulari quadam liberalitate, vrbanitate, hoſpitalitate, ac fidelitate præ cæteris nationibus ſint præditi, atque inter ſeſe, valde benigni (pacifici, manſueti atque modeſti, ad iram tardi. Cæterum quando prouocati fuerint, tarditatem ſuam, magna ferocitate compenſant; habent enim animos valde generoſos, heroicos, tumidos, & in domeſticos motus ſemper inquietos, & impatientes. Natura taciturni, & ad prius faciendum quàm ad dicendum promptiores, ſimplicioris ingenij, ſynceri, non fucati,

xteris beneuolentiſſimi, in omnibus rebus
atis creduli, etiamſi quis forte impoſſibilia
pud illos referat, credunt. Valent nihilo-
ninus ingenio, vt ad quamlibet arté, quam
nodo addiſcere cupiunt, ſeſe facile applica-
e poſſint, atq; in ea exactiſſimè proficiunt.
Et quamuis antiquitus nullum habuerint
um exteris nationibus commercium, neq;
communicabant cum illis in aliquo nego-
io, ſed contenti ſua ſorte, domi manebant,
victitantes de fructibus ſibi in propria ſua
erra natis; tamen exteros notos, ac forte ad
eos declinantes, non modo rogati comiter
& benigno hoſpitio, excipiebant, ſed & vl-
ro inuitabant, & omnia gratis diſtribuebāt,
omnemque diem infeliciter periiſſe exiſti-
mabant, quo non contingeret, peregrinis ho-
minibus, aut pauperibus beneficium quod-
dam exhibuiſſe, atque pro fortuna paratis
epulis, cuncta illis ad liberalem conuictum
neceſſaria, abundè ſine vlla numiſmatis com
penſatione adminiſtraſſe, niſi publica forte
fuiſſent hoſpitia, vbi ad tempus commorari,
aut diuertere, & huiuſmodi precio venun-
dari, ſoleant, ſicut in aliis terris, numero ac
pondere omnia, mēſurantur. Id efficit anno-
næ vilitas incredibilis, gentiſq; liberaliſſima
conſuetudo ac natura: nefas enim habebatur
quemquam epulis aut domo arcuiſſe, & ho-
ſpitium, cibum aut potum itinerantibus ne-

 gaſſe,

gasse: imo si quis conuictus fuisset idoneis testibus, peregrino alicui ter negasse hospitium immisso igne, ædes eius comburebantur, vt etiam ille merito propriis domibus priuaretur, qui earum vsum aliis inhumaniter denegasset. Quinimo & iumentorum vsum, viatoribus, quousque voluerint, liberrimè præbebant, ipsumq́ue per compita viarum alacriter ducebant, vtq́ue tali eorum beneficio vterentur obsequiis, & precibus vrgebant. Victus eorum vtplurimum erat lac dulce, vel lac concretũ, butyrũ, caseus, farina, caro fumo indurata vel exsiccata, quarũ tanta etiã nunc est ibi copia, vt ita salitas carnes, fumoq; exsiccatas, in culina trabibus suspendãt. Panẽ rustici conficiũt, in multis locis nigerrimum, nõ cribratũ, ex optimo hordeo vel siligine cũ furfuribus: diuitũ vero, atq; potentũ, panis delectabiliter apparatur: fit enim albissimus, & de puro tritico pinsitur. Festis dieb⁹ sumptuosiores epularũ apparatus, p̃cipue dominicis dieb⁹, iuxta antiquos mores tantũ coquunt, quo per totam hebdomadã coctis vescãtur, & vocant tale ferculum, patrio more, non quidẽ confusa, sed separata atq; discreta, scutellã Frisonicam, in qua quatuordecim genera eduliorũ reponuntur, vt iuxta Horatiũ,

Multaq; de magna superessent fercula cœna.

Nec quidẽ olim notatis manducabãt horis, sed siue nocte, siue die, quotiescunq; edendi

libido

libido ſuaderet(ſiquidẽ tanta vbique ruſticioris cibi & potus abundantia eſt) comedebãt:ita vt ſordidæ auaritiæ mãcipia eſſe reputarentur, qui pro numerata pecunia eſurientem cibaret. Vnde quidam Friſonicæ gentis hoſpitalitatem hãc,his verſibus recte commendauit:

Quæ ſit vita rogas? tenſo nunc frigore ſtringor,
Nunc ego fumoſi ſoluor ab igne foci.
Quem defoſſa palus & bubulæ ſtercora paſcunt,
Et multo diues piſce culina ſcatet.
Quin liquido potum me ſuffocare butyro
Officioſa volens ſic fore turba ſtudet.
Quam præſtat tecum tenui concedere menſa,
Et ſolita tandem ſobrietate frui.

Multa præterea & pene inter ſe quotidiana celebrabant conuiuia, & effuſius aliis gentibus comeſſationib⁹ indulgebant: menſam bis in die ſumptuosè ſternebant, & omnia quæ ad epularum delicias pertinent, abundè adminiſtrabant. Coquorum tamen artem, varijſque ſaporibus condita, vt inutilia, reiiciebant: carnibus tum aſſis, tum elixis, veſcebantur. Et circuli inſtar conſidebant menſæ, in quibus potationibus & ebrietatibus in multas ſæpe horas, à meridie vſque in medium noctis, cibo ac potu ſe opplebant, & in hoc totis incumbebant viribus, vt vitã quàm ſuauiſſimam tranſigerent. Et tum ſe

præ-

præclarè sua putabant instituisse conuiuia, si nullus sit irritandæ gulæ, ventrisque fer-ciendi modus omissus. Cōuiuis domum intrantibus, aut egressis, ostendere solent, limen dicendo: extra illud nihil. quare & nostro æuo hic mos est supra mensas habere rosas depictas, vt sub illis dicta vel facta, inter pocula, aliò non effutiantur. Sed hi oēs priscæ vetustatis mores, tā ipsa vetustate quàm nouo luxu, ac lautitia, mutati, deprauati & vitiati sunt, impendio sumptuosioris mensæ, frequentibus epulis, exquisitisque externarum deliciarum dapibus, redundantibus. Proiectis enim maiorum exemplis, innouādo mensarum ritum, licentius sibi quàm mos patrius permittit, indulgent: & luxum à finitimis vicinis deposcunt: vnde in patria nostra, haud parua luxuriæ nutrimenta fluxerunt, inde enim splendidiores mensæ, lau tiores culinæ, sordida coquorum ministeria, variæque farciminum sordes manauêre.

CAPVT XX.

POtus gentis Frisicæ, ceruisia est, & rarus vini vsus, quia ex bonitate terræ vinū non habent, ignotusque genti omnis vinearum cultus, peregrini tamen mercatores in magna copia adferunt, vnde nostro seculo, vinum non solum bibunt, verum etiā ingurgitant, noctes atque dies cyathos vino ple-

plenos, exsiccant; sed recipiunt nonnumquã condignam mercedem; nempe hydropisim, aut dysenteriam, quam illi *Schoerbuch* vocãt. hordeum & triticum serunt, ex quibus non solum panem efficiunt, sed etiam ob vini caritatem ceruisiam coquunt, quæ non minus quam vinum largius compotantibus ebrietatem inducit, & ab ipsis in symposiis, conuiuijsque bibitur, & quanto electius hordeum habeant, & diligentius præparauerint, tanto saniorem & præstantiorem exinde potum non dubitant euenturum, ex quo Cornelius Tacitus, potum Germanorum humorem ex hordeo aut frumento, in quandam vini similitudinem cõpertum, scribit. Et Hippocrates videtur habere de hordeaceo potu rationem, & censuram meliorem: prout in libris eius desuper confectis, clarissimè demõstrat. Proximi riparum & fluuiorum accolæ, aduẽtitiam cereuisiam Hamburgensem siue Bremensem habent. Dictu mirum quãtoperè eam in delitijs habeant, & mutuo sese ad bibendum inuitent ac hortentur. Hospitem vel alterum, eum locum in quo bibitur, subeuntem, porrecto poculo ad combibendum officiosissimè hortatur, & vt suum intret hospitium, rogant. Præterea inimicus æstimatur, qui sæpius inuitatus, non prætensa caussa compotare, recusat: neque iuxta Platonis sententiam, lib. de legib⁹, bonus socius appel-

appellari mereatur (quamuis bonum sociũ Plato appellat eum, qui bibẽdo & iudicando nouit euitare ebrietatẽ) nisi cum illis bibat.

Ingentia autem & magnæ capacitatis cornua, ferarum animalium, laminis aureis, argenteisve circa oram medium, ac finem circundant, quibus poculorum loco in conuiuijs vtuntur, quod forsan inexpertis generat admirationem. Aurea enim atque argentea vasa, apud paucos antiquos rusticos reperiuntur, imo penes nullos, nisi quibus à magnatibus ea dono præstita fuerunt. Horum prædictorum cornuum Iulium Cæsarem meminisse existimo lib. sexto belli Gallici, dicentem: In Hercinea sylua multa ferarum genera nasci constat, quæ reliquis in locis nõ sunt visa, inter quæ vnum genus est eorum, qui Vri appellantur, eorum cornuum amplitudo & figura & species, multum à nostrorum boum cornibus differunt: hæc studiose conquisita, ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis populis atque conuiuijs pro poculis vtuntur. hæc ille. Qualia cornua meo adhuc seculo habuerunt Frisij, & in conuiuijs vtebantur, quæ speciem prædictam præsentabant. Verum postposita iam antiquitate, luxuria illa ex Italia, in Frisiam subrepsit, effecitque, vt nihil quod pretiosi quiddam sapiat in Frisia modo desideretur.

DE VESTITV ANTIQVORVM FRISONVM TAM MVLIERVM, quàm virorum.

CAPVT XXI.

POrro vestitu priuatis diebus ferme om̃nes frugali & simplici, vtuntur: festiuis vero diebus parum splendidiore. Patres enim nostri habitu ab omnibus discrepabant Germanis, ita vt extra patriam quis constitutus, solo habitu agnosceretur facile Friso, siquidem vna veste toto anno vtebantur, neque vnus cultior, quàm alter erat. Et id quidem euenisse existimo, quia raro priscis illis Frisijs cum Germanis fuit conuersatio, vtpote regionem cælo asperam, facie horridam, nec mercatoribus congruam, raro prisci Germani frequentabant, sed nunc ex mutua ipsorum frequẽtatione, Germanis fere conformes habitu efficiuntur. In initio primæ ætatis meæ, circa annũ Christi 1522. gestabantur à viris senibus rostrati calcei, & vt Sabellic⁹ dicit, calcei anteriore parte, in tenue cornu protenti, semipedalis longitudinis: vestes erant curtæ, atq; strictæ, ex panno, vix dimidias nates tegẽtes, aut nõ longiores quàm ad coxas: quæ in dorso à summo ad imum quatuor plicas scutulatas habebant connexas, similiter ab anteriore parte bene complicatas, cætera plana excisa circa col-

lum vſque ad humeros. Ad vmbilicum vero pro cingulo, vtebantur zona, aureis filis contexta, vel fuſa, extenſaque in longum, argentea deaurata lamina, latitudine duorum digitorum. Induſia fere omnes variis coloribus circa collum exciſa, ſericis vel aureis filis exornabant, atque caudata geſtabant caputia, ſiue pilia roſtrata, quæ vulgo *koogels* vocabantur, prout ex hac imaginis ſequentis inſpectione, antiquiſſimus ritus veſtium in Friſia demonſtratur. Nobiles autem, vel qui inter populares ope & diuitiis eminebant à plebeis, ſplendidiore veſte, auro ſcilicet & argento diſcriminato diſcernebantur: ornantes manus armillis: prout ex inſpectione ſequentis imaginis videre licet, qualem ego veſtem in modum tunicæ bene aptatam, dumꝗ adhuc puer eſſem, conſpexi. Crines erant intonſi, & prolixi ad humeros vſque, vt à tergo iis deſuerent, qui vtrimque à fronte diſcriminati pendebant, barbam quidem raſitabant præterquam ſuperiore labro, & nonnulli etiam eandem nutriebant: ſuperinduebatur pallium breue, non longius quàm prior tunica, vnde natum eſt hoc vetus adagium:

In breui tunica, ſaltant Friſius quaſi pica.

Prȩterea etiam ſæpius perizomata gerebant longa ad genua, cui pallium adiungebatur, vnde multa admiratione proſequuti

ſunt,



unt, qui aut Friſiam vidiſſe, aut aliquid de
pſis audiuiſſe, gloriebantur. At obrepens
aulatim humanæ mentis corruptio, omnia
nutauit, calcei à fronte vehementer expanſi
n modum equini pedis, vel vrſini, laxior
eſtitus, ac multo demiſſior quàm antea, ad
media fere crura deſcendens, habitus quo vi-
i ac mulieres induuntur, cõmuniter laneus



est, seu panneus, sed adeo vtrumque diuer-
sus, & colore & forma, vt raro vnus sicut alius
vestitus appareat. Aduētitiis & nouis formis
vestimentorum iam plurimum gaudēt, præ-
sertim Italicis Gallicisque à quibus ante an-
nos aliquot, obtusa calciamenta viri, cum flu-
xis & discissis manicis tunicas, & texta pilea,
quæ bireta vocant, receperunt. Pilea hodie
gestan



geſtantur longa , faſtigiata vltra dimidium cubitum, ſupra caput extantia in altum,& clauus partim curtus,partim oblongus. Iſta autem virorum antiqua frugalitas , hodie ad mulieres tranſijt , quæ in præſentem vſque diem cum vicinarum nationum mulieribus, tam in exteriori quàm interiori habitu , & maxime capitum velis & ornatu , multum

discrepat: hæ enim dispositis multiplicibus
peplis, quibus grandia olim capita faciebant
vnico tantum hodie velantur, modestiusque
incedunt, neque vllum habent fuci, fictiue
coloris vsum, sed natiuo colore contentę nihil præterea ascifcunt. Et hodie in Frisia etiam multæ mulieres bireto vel ex panno, aut serico, aut sameto facto, peplone, capita tegunt: sed Frisonicæ mulieres vetulæ, festiuis diebus ita auro argentoque fulgentes incedunt, vt similes in orbe Christiano eiusdemque status & conditionis vix videris. Raro quippe ibi mulierem rusticam, nisi argento inaurato, ingentis ponderis cingulo ornatam, ad templum prodire conspicies: at dilatissimas habens tunicarum manicas, & has in medio cuneatas, atque deauratas armillis vsque ad brachia, fibulamque pro pectoris ornatu ex argento deaurato, ex patria gestant consuetudine, quin & digitos quoque multos ornant aureis annulis. Et hęc quidē ignobile vulgus, verum matronæ nobiles longe aliter aureis, argenteisq; variis decorātur ornamentis, ita vt nō minus oneratæ quàm ornatę esse videantur. In capitibus subtilissimis pannis lineis, negotiatorum quæstu ab exteris regionibus longo maris circuitu importatis, velantur: sub his tamen tegumentis, aureas quasi coronas lapidibus pretiosis intextas (secundū qualitatem stirpis ac opulentiæ)
pōrtant

portant. Toga autem ſcapularis, qua virgo induta conſpicitur, ipſam pudicitię caſtitatisq́; obſeruantiã deſignabat, qua vtebantur ſponſæ, cum coniugali vinculo iungerentur, nuptæq́; primo anno feſtiuis diebus, ita ad ædem ſacrã incedebant. Nunc vero iſte mos omnino abolitus eſt, & virginũ ornatus in pretioſis & ampliſſimis aureis vel deauratis coronis, conſiſtit. Quæ ornamenta Germanis ad Friſiam olim aduentantibus, iucundum inſolitumq́; præbere ſolebat ſpectaculum, prout ex figuratione ſequentis picturæ videre licet: Sed hodie ſatis honeſtus, ſatisq́; decorus, quarũdam fœminarũ veſtitus eſt, niſi quod supernè nimium excauantur, ita vt vlnas, pectus & humeros denudent: feſtiuis dieb⁹ oblongam togam & diſſolutam gerunt qua tegitur caput & corpus ad pedes vſque excepta tamen facie. Et ſimiles ſunt togæ nobilium atq; plebeiarum, ciuilitatem ſummè colunt, cum inter loquẽdum, tum & in porrigendis manibus, patiuntur etiam ſeſe oſculo excipi, verum ſi quis propius accedere conetur, repulſam patitur, ac vitæ periculo ſe exponit, cum viri caprarũ maritos ſe effici nullo modo velint. Aurum & argentum exquiſita veſtimentorum fimbria, ex variis precioſis animalium pelliculis, aut ſericis, ſametisq́; fere omnino abiecerunt. In Orientali autem Friſia, longe diuerſus veſtiũ habitus adhuc à mu-



lieribus antiquitus obſeruatur, & de præſenti adaptatur: put inferius, in deſcriptione Ooſtfriſiæ illarũ rerũ ratio cõmodiori loco deſcribetur, nunc vero cætera exequi pergã.

De moribus modernorum Friſonum.

CAPVT XXII.

SEd morum & ritus Friſiorũ modernorũ iam longe alia eſt ratio, cum omnia mu-



tet æui longæua vetustas. Itaq; non alienum arbitror paululum de iis proponere. Omnes enim hodie Frisiorum conditio siue status quadruplex est. Primus clericorum tam secularium quàm religiosorum, qui optima conuersatione plebi præeuntes cum verbo pariter & exemplo docent, vtrique magnis & largis redditib⁹, prædiis & possessionibus,



à piis maioribus nostris prouisi: assignantur enim illis plerumque circa templum domus cum agris & pratis, vnde victum suis aut famulorum manibus, abundè satis, instar vicinorum rusticorum agricultura quęritant, & ab aliis plurimum honoris percipiunt, non vt in luxu & voluptatibus obscœnis viuant, sed vt perpetua orgia celebrent, vt verę de

Deo

Deo doctrinæ possessionem retineant, Deo Opt. Max. sabbato, aliisque festiuis diebus sacrificent, sacrasque laudes cantent, atque animarum curam habeant, reliquis vero diebus per hebdomadam vacent. Vt etiam scripturas intelligant, & ipsas festis diebus populum è suggestu edoceant, & interpretentur, quæ scire ipsis opus sit, vitam agant cęlibem, vt artes Ecclesiæ necessarias propagent: nam qui in his minus probantur, facilè ab inerti vulgo contemni solent. Vestitu religiosi quique suo, satis decenter vtuntur. Seculares portant tunicas oblongas, fluxas vsque ad genua, nigro vtplurimum colore, caput mitra lanea, quod biretum vocant, paruo ac rotundo, quo rasuram tegunt, non multum fastigiata, cooperiunt, & in capite auretenus satis adhærentes, ne vento deturbentur, iuxta aures insutas habent fascias, quibus sub mento connectãtur. Ex collo cum in publicum procedũt, fasciam dependunt, quidam laneam, quidam sericam, honestatis tantummodo causa. Doctores & Licẽtiati ex sameto vtuntur, superinduunt & calceis crepidas siue sandalia, quæ domum reuersi deponunt. Sed (proh dolor) omnia iam abierunt in dissuetudinem. Ocio maior pars monachorum vacat, libris pauci intendunt, pomeridianas horas ludendo, potandoque terentes. Sed mihi hic tempero, ne grauem mihi conciliem inuidiam,

etiamſi nihilominus veritatem dixero,& dicar os meum in cælumponere, dum eos qui ſupra me ſunt,carpere contendam:malumus enim omnes dici,quàm eſſe boni,probi,& iuſti,quando etiam ſunt publica vitia. Iniurias ſuas minores ſacerdotes ad Epiſcopum ſiue eius Officialem vt commiſſarium aut Decanum deferunt(militiæ enim clericali adſcriptus , ad vulgaris fori iudicium trahi non poteſt) vnde grandi damno eos qui nocuêre aliquando afficiunt , & ſibi ſecuritatem parant.Et ſi quid inter ſacerdotes ſimultatis ſiue diſcordiæ exoriatur, Epiſcopus ſolus aut eius Officialis tamquam iudex competens, decernit: & ſi quis eius non ſteterit decreto,ei ſacrificiis interdicit,quæ pœna apud eos eſt grauiſſima.Quibus enim ſacra ita ſunt interdicta,hi numero impiorum & ſceleratorum habentur,ab iis omnes decedunt,conuerſationem eorum & ſermonem defugiūt, ne quid ex contagione incommodi accipiāt, neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. Et quod Aeneas Siluius dicit,ſacerdotes apud Friſios ne aliena cubilia polluant, ſine coniuge non facile admitti , eò quòd vix continere hominem poſſe,atque ſuper naturam eſſe, arbitrentur. Id ita verum non eſſe,neque etiam vnquam fuiſſe(quod ſalua pace tāti Hiſtorici dictum ſit)audacter dico,& neſcio à quo falſiloquo,

tanto

tanto viro, tam anilis & falsa (audita enim scripsit) persuasa sit fabula, quum manifestè constet in hac gente, semper fuisse, & adhuc esse permultos, & non pauco numero mundissimos & castissimos sacerdotes, qui abiuratis coniugibus atque concubinis, cælibatum amplectuntur. Neque tamen impudicos & fornicarios eos habere non paucos negauerim, qui de eo conuicti grauibus pœnis & censuris Ecclesiasticis mulctantur, atque tandem prouentibus omnibus ac dignitatibus, clericali ordini annexis priuantur. Itaq; presbyterorum filii in Frisia semper fuerunt vilissimi æstimati, patresque eorum ob lesæ honestatis infamiam, non minus contemptibiles effecti, velut sal infatuatum, concalcabantur. Sed quę gens aut natio caret illa labe, primum lapidum in fornicarios Frisiæ sacerdotes mittat. Quæ rogo consequentia est, vt Frisii, hominem se continere posse super naturam arbitrarentur: quum tam multa, tam opulenta, & regalia in suis terris fundauerũt monasteria, in quibus pene innumerabiles vtriusque sexus homines castissimè, sub regulari disciplina Deo omnipotenti, militent? Quod vero Frisones apud claros authores zelo castitatis prę cęteris laudantur nationibus, non indignabuntur lectores. Huius quippe rei testes (nisi breuitati studerem) plures afferre possem authores. Legi autem nuper in

quo-

quodam vetustissimo libro sermonum prædicabilium incerto tamen authore, Gens (inquit) Frisonum, miro modo castitaté cælat. Hæc de ijs dixisse, sufficiant.

CAPVT XXIII.

SEcundus vero status modernorum Frisiorum nobilium est, hic multos habet gradus. Sunt enim Comites in occidua Frisia de Egmonda, & Barones de Bredenrode & VVassenaer, ac in Orientali Frisia de Emeda, Esens, & Ievverden, qui non solum dignitate, & generis claritudine, sed & potentia cæteros antecedunt. Terras habent & dominia latissima, ab Amaso vsque ad Iadam, fluuium: cæterique nobiles per regionem dispersi, florũ ad instar interlucent. Sed illud in nobiliũ ordine mirum videri potest, quod Comites ipsi, quoties Imperij necessitas exigit, obsequia tamquam subiecti præstent, milites exemptos se dicant, & nisi ad stipendium nemini seruiant, nec subditos suos inseruire sinant, & tamen Romanorum Imperatorem Dominum suum ac Principem esse dicant & recognoscant. Prophanari, & non parum minui generis sui splendorem existimant, si mercaturam, artémue aliquam mechanicam exerceant, aut manu laborent, aut si vxorem plebeiam, vel se inferiorem ducant, siue in aliqua vrbe, more ciuium habitent,

tent; itaque ab omni opere immunes, neque seruiunt cuiquam, neque imperant. Atque vrbanorum consortia, commertiaque omnia perosi, arces & robustiora, splendidioraque ædificia, in pascuis ruri collocata, cum familia sua liberè habitant. Quidam ex iis Principum Regumque curias frequentant, aut bella sequuntur, alii vero de redditibus suis, & patrimonio viuentes, domi manent. Communiter tamen totam vitam suam venationibus, aut bellis, transigunt & intendunt, venaticosq; canes alunt. Quod solum ipsis licere longo vsu, & concessa libertate, contendunt.

Lepores etiam fouet Frisia plurimos, hinnulosque paucos, quos tamen capere, aut saltem persequi, priuatorum nemini, conceditur, ceruos verò aut apros, nullos habet. Hinnulorum venatio in aliquibus locis, sub magna & arbitraria pœna interdictā. maximè in orientali Frisia sub Comitib⁹ Oestfrisiæ, vbi iuxta Auricam locus est nomine Iyl muris vndique cinctus, arbustis cōsitus, leporibus, & hinnulis percommodus, in quo quasi in viridario siue leporario quodam, fouent maximum numerum, quos proposita pœna capere nemo audet, sed Comitibus, operam venationi daturis, in voluptatem pro tempore seruantur. Noxias tamen feras veluti vulpes, martes & mustelas, rusticis captare li-

cet, si possunt, quamuis in Frisia raro inueniantur, quæ non exigua damna inferunt inquilinis, & tamen venationibus retiariis, aut foueis vel sagittis apprehensæ, pellium lucro restaurant illud damnum. Lautè insuper nobiles ipsi epulantur, vestiuntur splendidè, diuersoque colore serico, sametoque tam viri quàm mulieres domi & foris exornantur, multoque famulorum cœtu incedunt, incessu adeo maturo & præmeditato, vt à plebeis mox vt videntur internosci possunt. Equis & curru, si longius sit eundum, & non pedibus vadunt: nam dedecorosum hoc valde ducunt, & meræ egestatis inditium, pedibus itinera conficere. Ad verbales iniurias sunt omnino impatientissimi, & confestim iniuriosa verba, verberibus compensant, interiores vero atrociores illis illatas, non vi, vel pugnis, veluti in Germania vlciscuntur, sed iure, coguntque iure, & mediante iustitia, qui intulerunt ad satisfactionem.

CAPVT XXIIII.

TErtius status oppidanorum est, quorum quidam Regi Hispanorum subiecti sunt, quidam comitibus, ac principibus Oestfrisiæ. Qui autem regi Hispaniarum parent, libertates multas habent & instituta, quibus in communi ferme vtuntur. Singulis annis Magistratus suffragiis,

ciuium nominatur ac eligitur. Ex quibus præſes prouinciæ idoneos ac orthodoxos eligit, & confirmat. Si de rebus arduis agitur, aſſident in Concilio Scabini, quos ciuitas ſibi deligit nuncupati vulgari lingua, (*die geſvvoren geemeente.*) Criminalis vero iuſtitia & ſumma poteſtas penes Senatum Regium eſt. Habet tamen ciuitas Groninga, legum condendarum poteſtatem, poſſuntque pœnam mortis, & mutilationis membrorum ſtatuere. In omnibus fere ciuitatibus ſunt ingenui & plebei. Reip. adminiſtratio fere communis eſt, & vtriſque permiſſa, nec iſtis plebs ſeruire aut ſubiecta eſſe videtur, ſua cuique ſubſtantia tuta eſt & libertas, ſaluis legibus, vt viuere volunt. Eleemoſynas multas tribuunt, & ſtipem largam mendicis indies erogant. Nulla fere eſt ciuitas, in qua non fratrum mendicantium cõuentus ſunt, atque peregrinorum, inopumque publica hoſpitia. Aluntur etiam iuuenes ephebi, qui ſtudiorum cauſa paterna domo egreſſi, voluntariè hinc inde exulant, tam multi interdum in vna ciuitate (præſertim Groningæ) vt mirari poſſis, vnde illi à ciuibus ex pietate ſuſtententur: nã nulli rei fidelior, maiorque cura adhibetur, q̃ vt pueri atque iuuenes bene inſtituantur. Domus publica iuxta ſingulas parochias vna eſt, in qua artium & diſciplinarum ſtudia colantur, ad quam tam extranei,

quam

quàm ciuiũ filij quotidie conueniunt,& diligentiſſimè in variis bonarum diſciplinarum rudimentis, inſtituuntur. Qui ipſis præſunt, præceptores viri non minus virtute, quàm doctrina ſpectabiles ſunt, ex quibus profecto diſcipuli optimas quaſque hauriunt diſciplinas, ea intentione, vt Dei auxilio concurrente, in cleri militiam tandem aſſcribantur. Negligentes, ferulis & virgis percutiuntur, aut verbis duriuſculis caſtigantur, & ſi improbi eſſe velint, corripiuntur, & tamquàm equi calcaribus ad curſum incitati, conſtringuntur: mollis quippe educatio, quam indulgentiam vocant, neruos omnes mentis & corporis frangit. Maxima eſt cura parentum, à maligna ſocietate nebulonum reſtringere filios, ne irrecuperabiliter corrumpantur, & vt domi foriſue bonis moribus inſtituantur, cum ſciant, quàm prona ſit ætas hæc ad omne malum, licentiaque accedente, adhuc fit deterior. Quapropter diligentiſſimè curant, vt puerilis ætas ab illicitis aſpectibus, & officiis arceri & abeſſe cogatur: & ſi quis puer vel iuuenis, coram patre, aut alioquodam amico, ſiue ſene, ſcurrilia aut obſcœna verba loquatur, ſiue hominem canum præterierit capite operto, ſtatim reprehenditur & obiurgatur, cum maximum honorem ſenum eſſe volunt, neque vſquam terrarum, honoratiorem locum ipſa ſenectus habet. Vbique

illud

illud omnibus in animo eſt, Maiori cede. & id non minus fideles amici, quàm parentes præſtant, quum illos ſummo ſupplicio arbitrentur dignos, qui pueros licentiosè in omnibus vitijs educant, & ſic educatos aliquando à parentibus in patibulo lugendos dictitent. Ideoq́ue in ciuitatibus, oppidis, & pagis, legali vſu cautum eſt, ne in ſacris cœmiterijs pueri claua, pila, vel taxillis ludãt, quos miniſtri præſidis ilico alligant ſtatuis publicis, aut palis ad eorum inſolentiam corripiẽdam, fabricatis. Proinde iuuentus ab ipſa pueritia, plerumque honeſtis diſciplinis] inſtituitur. liberales artes multis curæ ſunt, & in primis diuinarum artium ſtudia, aut Iuris ciuilis ſcientia, maxime ſi quibus à pueritia egregia indoles, eximium ingenium, atque animus ad bonas artes propenſior eſſe probatur. Tales enim fieri Magiſtratus in Rep. aſſerunt, quales fuerint adoleſcentes in moribus educati. Atque hæc quidem hactenus. Sed hodie (proh dolor) non multum ſolliciti ſunt de Republica, vt vbique fieri contingit, vnde etiam fit, vt quotidie omnia ruant in peius: nam & incolæ bonas artes contemnunt, ſatis eſſe putantes, ſi vel à limine latinam linguam ſolummodo ſalutauerint, nihilq́ue curant aliud, quàm vt rem ſuam familiarem locupletiorem reddant. Præterea & pueri quondam lectum petituri, flexis ge-

nibus ante parentes (Dominica oratione, &
Angelica salutatione recitata) paternā bene-
dictionem accipere consueuerunt: quem
morem vetusta quadam deuotione susceptę
fidei sic introductum, etiam nunc aliuubi vt-
cunque seruant. Imo etiā ad Dei cultum ded-
tissimi sunt nisi in locis illis, vbi iam à Roma-
na dissentiunt religione. Nullus artificum o-
lim fuit, qui mane antequam laborare incipe-
ret, ædes sacras non intraret, & diuinum
Officium audiret. Ministri atque ancillæ fe-
stiuis diebus à dominis suis, cum quib⁹ habi-
tant, vt matutinis sacris interessent, frequen-
ter excitabantur atque compellebantur, eis-
que non modicum irascuntur, qui ex pigri-
tia aliáue inani causa ædes sacras frequentare
negligebāt hodie. Si quis ex ditioribus mori-
tur, accendunt luminaria magna, & domum
thurificando suffumigant, atque vicini funu
altera die educunt, præcedunt clerici & sa-
cerdotes cantillantes cum ceroferariis duo-
bus, & vno cum thuribulo suffumigante, do-
nec ad sepulturæ locū perueniant: sequuntur
amici cum luctu ac lamentatione ad sepul-
chrum, & ibi à sacerdote thure suffitum, &
aqua benedicta consper sum corpus, cum
certis imprecationibus, sepulchro tandem
imponitur, terraque obruitur. Antiquit⁹ sub
paganismo, suos nonnulli defunctos huma-
bant, ditiores vero in sarcophago condebant
ad ca

ad caput victualia, & amphoram cereuisiæ ponentes, eo errore capti, quo putarent mortuos sese in futuro seculo recreare, ciboque exsaturari nunc. In funeribus & parentationibus mœstitiam ingentem præ se ferre ostẽdunt, nigris enim amiciuntur vestibus, defunctos triginta diebus atra veste lugent, ac funebre sacrum pro iis faciunt. Et quib⁹ fortuna amplior est, post exequias in memoriã defuncti, conuiuantur, peractisque epulis, fundunt omnes pro defuncto preces suas, sed tamen non vbique æqualiter huiusmodi exequiæ parãtur, cũm aliquo triginta dierum, nonnulli verò toto anno, nigris indumentis obuoluti magis, quàm omnino vestiti, oblõgo talari pallio lugeant.

CAPVT XXV.

IVstitia, communiter olim per totam Frisiam ab illiteratis fere administrabatur in singulis oppidis, & nonnullis pagis etiam similiter contingebat. Viri duodecim vitæ integritate ac honestate præcipui eligebãtur in iudices, nullo habito respectu, siue scirent literas siue non, modo ad munera & largitiones, incorruptum animum gererent. Hi iudicandi munus necessario subibant, licet remunerationem siue mercedem inde nullam expectarent, præter honorem, pro communi tantum bono, suis negotijs posthabitis. Iudi-

cijs ſtatuto tempore intendebant, forma gu-
bernationis publicæ honeſta erat,& iuſta: at-
que in ciuitatibus iudicia,legibus & iure cō-
ſtituta fuerunt,proinde in omnibus tribuna-
libus primas partes æquitati, miſerationiq́ue
tribuendas volebant, nihilq́ue rigidum aut
ſeuerum , ſiue præcipitanter in iudicijs fieri
permittebant, & ſi quid cōtrouerſiarum in-
ter laicos oriretur, æqua incorruptaq́ue iudi-
cia vbique ſeruabantur,& communi iudicio
omnia decernebantur. Iurabantq́ue ſinguli,
ſeſe vnumquemque iudicaturos, ſecundum
iura municipalia , & quodcunque eis viſum
fuerit iuſtius atque melius. Neque ab eorum
ſententijs maiores noſtri omnino appella-
bant, putantes indignum fore tantorum vi-
rorum gratis iudicantium decretis contra-
uenire. Hodie vero ab his,ſi perperam indi-
catum videtur,ad Senatum Regię Maieſtati
appellatur. Ciues interim honeſtiſſimè inte
ſeſe & amiciſſimè viuunt , in foro locisq́u
publicis & priuatis, frequenter conuenien-
tes,mercantur,conuiuantur, colludunt, col-
loquuntur, & ſe luctando exercent, raro al
ter alterum decipit, raro contendunt, his cu
ræ eſt, vt quæ ſunt victui & veſtitui neceſſa-
ria,procurare: quocumque tempore, quo
cumque etiam loco , tam viri quàm mulie-
res obuiantes inuicem ſeſe mutuo honorāt
atque ſalutant, & fœminæ vrbanæ diuitij
abun

abundantes, valde ſunt in veſtitu faſtuoſæ, abutuntur illis in ſuperbiam. Sed modò mores & conſuetudines ciuium mutantur, militibus peregrinis, ſemper aliquid noui ex bello adferentibus, luxus, pompa, hodie multorum malorum ſunt ſeminaria. Hinc iam proh dolor increbuerunt & etiam incruduerunt, conuitiandi, iniuriandi, & ſcortandi vitia, & quamplurima alia mala. Nam vbi nō regnat ſapientia, neceſſario ſequitur, vt ciues inter ſeſe mutuo laborent odijs, atque alter alterum deuorare contendat, maximè vero optimi viri periclitantur, rerum ſuarum iactura.

CAPVT XXVI.

QVartus Friſiorum ſtatus, eſt eorum, qui ruri pagatim villatimq́ue habitāt, quiq́ue illud colunt, & propterea etiā ruſtici vel rurales appellantur. Horum fuit olim ſatis dura cōditio, quanquam interim ſe liberos eſſe gloriarentur. Seorſum enim ab alijs quiſque cum familia & pecore ſuo humiliter ſatis viuebat: nam caſæ eorum luto, argilla, lignoq́ue ex terra paululum eductæ, & ſtramine vel arundine contectæ, erant: in quibus ignis in medio, & in aliquibus in camino reſeruabatur, iuxta quem vxor ac liberi verſabantur, ibidem & pecus, & armētum, & frumentum & omnem ſupellectilem cō-

debant, quumque paterfamilias ad focum ſederet, iumenta totamque domus ſuę ſupellectilem cernebat. Et habebant, vt & nunc etiam plerumque in caminis ſuis, ſaltantes grillos, qui hyemali tempore inhærent caminis, cantum importuniſſimum, hoſpitibus præſertim, (dum indigenæ his aſſueti, non turbantur) inferentes: ſed iam omnia ſunt mutata. Domus ſumptuoſiſſimè, ab intra & extra, plurimis manſionibus ornatas, extruunt, cibus tamen maximè ſolemnis eſt Friſiis, caro fumo indurata, vel exſiccata, puls auenacea, hordeacea, aut ſiliginea, ita addenſa, vt ferè partes inde manibus decerpi poſſint, aut decoctum legumen. Operantes in die quater comedunt, ocioſi bis, paneque nigro veſcuntur, cereuiſia ptiſana, lac vel apia, ſerumque potus. Gens omni tempore inquieta, laborioſa, munda, & vtplurimum bene veſtita magis quàm in Saxonia aut VVeſtphalia. Et iam Friſia ruſticos habet diuites, ita vt plerique 24. aut 30. vaccas per hyemem enutriant, multosque boues ſaginent, & vbique in vicinas ciuitates ad vendendum agant, quidquid tã ex agro quàm ex pecore fructus percipiunt, ſibique ibi ex aduerſo comparent, quæ apud ſe non habent & egent. Mortua vxore, liberíſve defunctis, certam Parocho ſuo numerare pecuniam, aut vnam vaccam, pro iuribus Eccleſiæ dare, cogũtur. In ſacra æde (quæ

in ſin-

in singulis pagis vna est, satis dotata prædijs & possessionibus:) Dominico aut festo die ante meridiem omnes conueniunt, & à sacerdote suo parocho, Dei verbum & sacra audiunt. Viros in plerisque pagis inter se rustici eligunt ex optimatibus, qui emungẽdis pecunijs nõ inhiãt: quos rusticorũ magistros, mamburnos, aut æditues Ecclesię appellant, contẽtionum illi, contractuumq; sequestres sunt & Reip. dispensatores. Et habent hi eam rerum experientiã, vt posint ignaram plebẽ de rebus gerendis instruere: vtpote quomodo ædes vtiliores ad constituẽda pecora extruant, quomodo prata extendant, noualia ferendis frumentis aptiora reddãt, agrorum fertilitatem conseruent, quomodo piscaturæ inuigilent, & alias quascumque commoditates, feliciores afferant. Rustici ipsi gubernationẽ in plerisq; locis nullam habent: sed nobilibus, siue proprietarijs prædiorum crebro per annum, seruiunt: rus colunt, & semine conspergunt, fructus metunt & horreis important, aggeres maris reparant, vias reficiunt, domos ædificant, cespites atque fossas effodiunt. Et vt homines nihil agendo, malè agere discunt, ita etiam isti multum agendo, & honestis laboribus multas malas cupiditates reprimunt. In summa nihil est, quod seruilis ac misera ista turba absque periculo recusare audent: nam delinquẽs in ijs grauiter

ter mulctatur, aut sub exactorum istorum censuram cadit. Sed nihil est hominum generi isti durius, quàm quod prędiorum quę possidet, maior pars non sit sua, sed illorum à quibus certa pensione annua, vel frugum parte quotannis redimere, tenetur. Ex his omnibus prædictis modũ ac finem facio huius primi libri, ne excurrat in immensum, cum hæc solummodo de Frisiorum gentis origine, situ, qualitate, libertate, ciuilitate, humanitate, atque morũ integritate relatu dignissima, arbitrati fuim⁹, sufficere. In quo si quid bene dictum existit, Deo Optimo Maximo, & gloriosæ virgini Mariæ laus sit & honor. Sin autem aliquid minus bene dictum reperitur, me humiliter vniuscuiusque correctioni submitto.

Finis primi libri.

LIBER SECVNDVS RERVM GESTARVM ANTIQVORVM FRISONVM, EXPLICAT DIuisiones terræ, & mutationes nominum, & prouinciarum Frisiæ.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

FRISO igitur, primus Frisiæ gentis conditor, à quo & nomen & genus traxerũt Frisij, potitus (vt dictum est) Frisia, diuisitque totum illius regionis tractũ à Rheno vsque trans Albim, ad Eidoram fluuium, in septem partes, septem filiis suis, quas partes Zelandias appellant, quasi mari proximas. Quarum prima Occidentalis Frisia, quæ est ad occidentem Fleui fluminis, nunc maris meridionalis, & comprehendit omnem terram inter Rhenum & Fleuum fluuium, quæ iam propter impetuosam maris inundationem accessit comitatui Hollandiæ, continens in se

Leidam, Traiectum & Harlemium, vetustissimas profecto ciuitates, quarum vltima appellationem traxit & denominationẽ sumpsit, à quodã Lemo filio Dibbaldi, Regis Frisiæ, primo ex Arce conditam, & corrupto vocabulo Heer Lem, dictam, successiuisque temporibus ædificiis auctam, & in vrbẽ amplissimam extructam, prout Annales habẽt: habetque ea vrbs multos homines, qui solummodo pannis texendis vacant. Leidis vero ciuitas ab Engisto filio Regis Frisiæ, ex Britannia pulso, primo ad ripam Rheni fundata, & temporum successu est multiplicata, vti etiam annales referunt. In qua vrbe etiam annuatim magna copia pannorum paratur. Præterea habet in se hæc Zelandia Enchusiam, Horniam, Alcmariam, Amstelredamum, Edamum, & Medemblicã, cum antiquissimo castello Fleuo, de quo Cornelius Tacitus mentionem facit, lib. quarto Annalium, quod profligatis & fugatis à Frisiis, Romanis. Olemnius fuit castello receptus, cui nomen Fleuum, quod castellum arbitror esse arcẽ in Medenblick, in qua Radbodum regẽ Frisiæ frequẽter resedisse, historici scribunt. Erat enim ibi eo tempore oportunior Regũ habitatio, tã propter commoditatẽ vicini Fleui fluminis, q̃ propter ędium structuras. Quæ omnes ciuitates iam ob inundationem maris meridionalis, comitatui Hollãdiæ subiectæ & sub curia prouinciali Hollãdiæ prudenti-

ime feliciſſimeq; gubernantur. In hac Zelandia fabricantur maximæ naues, & poteſt in illa haberi omnis apparatus nauium, & claſſis inſtructiſſima apparari. Sub eadem Zelandia, ſubiectæ ſunt quædam Inſulæ, non longe à continenti in Oceano ſitæ, vtpote Teſſel, (aut vt aliqui volunt Texel) & Vbelant, quarum ripa, natura ipſa vallo ſolidiſſimo ex congerie arenæ maris, munita eſt Tum etiã in mari Mediterraneo habet inſulas Gryn, VViringen & Marken, quæ fluctibus marinis circumuolutæ & circumſeptæ, aggere ſolidiſſimo, ex illa terra & gleba argilloſa munitæ ſunt, quo impetus maris coerceatur, omnes fertiles & optimæ cultæ, in quibus humiles caſæ, ex lignis omnes conſtructæ, piſcium captura, magnum quæſtum faciunt, & ſibi victum incolæ procurant. Quamuis in ijs etiam armenta nutriantur, ex quibus lac, butyrum & caſeos ſibi comporant. Et faciunt ibidem tam bonos caſeos amanuarios ex recenti lacte coagulatos, vt præſtent omnibus caſeis, qui Amſtelredami & in Friſia venduntur, diſtrahunturque circumquaque per totam fere Germaniam. Et nonnulli ſi reperiant caſeos quaſi putres vermium ſcaturigine plenos, lętantur in eorum bonitate, imo exeſos nonnihil (& interiori ſubſtantia quaſi putrefacta) replent vino, quo adhuc magis putrefiant, vt ita & laudẽ augeant atq; ſaporẽ.

CAPVT

CAPVT II.

SEcunda Zelandia est Comitatus VVestergoe à Fleuo siue mari meridionali vsque ad Aulam Dei, vbi nunc est *Vienclaester*, vbi Issula solebat excurrere, & in Oceano influere, iam autem ex alluuione maris continens terra facta, optima gleba, noua terra vocatur, dirimente vero hanc Zelandiã mari angusto, à Staurea ciuitate vsque ad Euchusiã, quod iam reputatur esse in latitudine circa tria miliaria, potestq; fieri traiectus secũdis ventis spatio triũ horarum, & cum cęlum est serenum, potest facillime Hollandia videri in Frisia. Quamuis hanc Zelandiam, quondã contiguam vna cum priori Zelandia iam Hollandiæ conterminam fuisse constat, nullumq; interstitium aquæ extitisse, præter tantummodo viginti aut 25. pedum amplitudinem, Fleui videlicet fluminis, eumque postmodum propter æquoris sæuitiam, disiunctum. Habet & hæc Zelandia in se vetus emporium celeberrimum Stauriam, nec non Suecam, Bolsuerdiam, Franekeram, Harlingiam ciuitates, in qua Harlingia, vexillum sancti Magni in parietibus Ecclesiæ ab antiquis temporibus conseruari, fabulantur Frisii, qui fuit ex militari genere antesignanus & dux Frisiorum, sub Carolo Magno in expugnatione Romæ, sua tempestate corporis robore, nobilitate, & in Deum incredibili religione

ligione animique magnitudine longè cæteris Frisonibus præstantior. Sub hac Zelandia siue prouincia, ad Aquilonem in Oceano sitæ sunt duę insulę, Schelling videlicet & Ammelant, à quarum cõtinente, per mare discretæ, tria miliaria Germanica, maxima maris angustia tenet, quam duarum aut trium horarum spacio, nauis bono vento agitata percurrit, insulæque illæ optimis pagis & Ecclesiis decoratæ, atque habitatoribus multis, & mercatoribus, refertæ. In his Insulis nullum nociuum animal inuenitur, etiamsi multos habeant in se cuniculos, qui incolis plurimũ incommodant, damnaque non parua inferant, qui cuniculi sic generatione creuerunt, auctique sunt, vt tandem iam impleuerint fere totas Insulas, tantaque agris & domibus damna atque incommoda inferant, vt incolæ vix consilium contra eosdem capere, aut animantibus illis occurrere, possint. Sed tandem consilio adinuento comparant sibi Viuerras siue cattos syluestres, quos illi Frettos vulgari lingua nominant, illosque mittunt in cuniculorum cauernas & speluncas, ac sic vnguibus suis, illos cuniculos extrahunt, aut saltem per aliud foraminis ostium expellũt, venationique exponunt. Hæ prædictæ Insulæ iuxta maris littora, vbi respiciunt Meridiem, multum sunt fœcundæ, ad septentrionem vero valde montosæ, arenosæ, & infœcundæ.

cundæ. Quarum incolæ valde vexantur & diripiuntur à piratis, qui ibidem ſemper in tumulis latitant, & à collibus arenoſis maria proſpiciunt, vt præternauigantes inopinato impetu obruant.

Deſcriptio Ciuitatis Stauriæ.
CAPVT III.

STauria ad littus maris meridionalis ſita, propter negotiationes, quæ ibi ſolebant exerceri, quondam clara, ac longa vetuſtate conſpicua, multarumq́; regionum emporium, tantis opibus & negotiatorũ mercimoniis frequens fuiſſe dicitur, vt vix illi par, in Europa haberetur: erat enim tota fere orbe celebris. Et etiã Regalis ciuitas dicta eſt, limitesq́; imperij eius vſque Nouiomagium patebant, vbi vetuſtiſſimo ſtylo, characteribus fere ignotis, longo ordine, ad portas Caſtri legitur inſcriptum; HVC VSQVE IVS STAVRIAE. & alio loco: Hic finitur regnũ Staurię. Quæ res profecto magnum perhibet Stauriæ vetuſtatis teſtimonium. Et quamuis continenti adhæret, tamen magna ex parte cingitur fluctibus inſtar Amſtelredami, nã aquis marinis alluitur, atque fere circumluitur, habens ad orientem vaſtum lacum, ad occidentem mare mediterraneum, olim frequens, celebris & inclita ciuitas, habitatoribus ac mercatoribus plena, vbi naues magnę,

titas suas stationes, & tranquillissimum portum habere, solebant. Nunc vero (proh dolor) per tempestuosam inundationem aut æstum maris, interiecta arenarum magna mole, portus ita est præclusus & obstrictus, vt nauigijs vix sit peruius, atque ciuitas modo omni mercatura destituta, ad extremum miseriarum & calamitatum redacta, vix vestigia antiquæ claritatis, amplitudinis & vetustatis, inueniantur. Habuit etiam prædicta ciuitas Stauria Monasteria & Ecclesias ornatissimas, quarum aliquæ adhuc inter ruinas & vepres desolatæ iacent. Magna ibidem habitat in præsentiarũ piscatorum, nautarum, nauclerorum & nauercharum frequentia, qui mare illud meridionale indies scrutantur. Fertur ex antiquorum relatione, ibidem fuisse domos, quarum vestibula fuerunt deaurata, & columnæ ædium auro puro splendentes, nunc vero solas casas rusticas præ se ferentes. Hoc si verum sit, non necessitatis gratia factũ est, sed vt potentiæ suæ monimenta, atque argumenta veteris felicitatis ostenderent, ac inæstimabilium suarum diuitiarum gloriã, posteritati relinquerent. Harum adhuc ædiũ collapsarum vestigia supersunt, atque ex ea felicitate ciues tam insolentes & petulantes fuisse factos, vt naues ad remotas regiones emissas, vt optima quæque & preciosissima mercimonia adportarent, oneratas optimo

& præ-

& præstantissimo tritico, postea reuersas, sciscitatos ex nautis, quo nauis latere triticũ immisissent, respondẽtibus nautis, ad dextrum iussisse, vt nautæ illud triticum rursus è sinistro latere nauis in mare proijcerent: vnde ex iusta vindicta Dei, magna congeries arenarum, portus alueum ita obstruxit, arenásque ad littus peruoluit atq; meatui eius obiecit, vt magnæ onustǽque naues, iam ibidem nullam stationem quietam habere, sed facile tẽpestate qualibet iactari, periclitari, vadisque afflictari possent: quod sine dubio magnum iræ diuinæ signum ac testimonium fuisse creditur. Vbi Guilielmus Comes Hollandiæ, &c. anno 1345. cum octoginta millibus pugnatorum hominum prope Monasteriũ sancti Odolphi à Frisijs infelici fato cæsus & interemptus, quorum occisorum ossa vsque ad annum 1545. inhumata ibidem iacuerunt, in quibus aperta iudicia vulnerum & ictuum gladiorum adhuc apparebant, quæ à Maria Regina Vngariæ anno prædicto plaustris curribusq; imposita Stauriã deuecta & in domo mortuaria sunt deposita. De quibus Gerardus Nouiomagus haud ignobilis Poëta subiecta cecinit carmina:

Egressum Sneca me excepit Stauria quondam
Postibus ex auro factis assueta domorum
Lumina fulcere, at modo vix vestigia prisci

Splen-

Splendoris retinet, fluctus perpessa furentis
Vicini Oceani, licet hic tamen esse videre
Congesta in tumulum Hollandorum principe caeso
A Frisiis pulchra pro libertate paratis,
Mortis adire domos patrio vel viuere iure.

Illa excellens & nobilis olim ciuitas, hodierno die, vix habet quinquaginta domos integras, cæterum ruinæ antiquæ suę potentię, magnificentiæ, ac gloriæ, adhuc indies cernuntur. Ex qua Dei vindicta naues plerũq; mercibus onustæ, in salo anchoras eiicere necesse habent. Vnde translata est inde mercatura, nõ sine graui Ciuitatis damno, Amstelredamum: vbi nautæ propter securitatẽ portus omnes merces transferunt, & cum ibi libera vendendi emendiq; detur cuilibet copia, dici non potest, quanta ex omni natione mercatorum & opum vis eò confluat: vt certe putares toto orbi illa sufficere. Arcẽ habet prædicta Stauria Regiam ac munitissimam ad mare sitam, aggere magnę altitudinis cinctam, fossaque profunda, aquę plena, circundatam, & ab ima fossa ad vastigiũ vsque graminibus vestitam, cuius aggeris infimas partes, murus paulo humilior ex coctili laterculo & calce, circuitum arcis pandit, quo potius & melius valli fundamenta, solidiori mole & structura existat. Quæ certè munitio sic est instructa & instituta, vt manuariis tormentis instructi & edocti milites, post eam

lateant, sociíque humilitate,& fossa contect
(quauis etiã hostium cingente corona,) tor
mentorum ictus euitare possunt, planeque
videas nulla potentia eandem arcem esse fa
cile expugnabilem. Ciuitas vero ipsa olim
altis mœnibus,fossis,ædificiis,opibus, & ho
minibus florentissima & ditissima,hodierno
vero tempore omnium ciuitatum, miserri
ma pagique gerens speciem. Ex hac Ciuitate
originẽ duxit quanquã Suecæ natus eximius
ille Ioachim⁹ Hopperus V. I. Doctor,splen
didis ortus maioribus,ex vetusta Hoppero
rum familia, qui semper cum propter exi
miam eius prudentiam,& singularem pieta
tem, tum etiam ob maxima in me beneficia
à me hic merito nominandus venit, vir pro
fecto cum veteri prosapia & linguarum cog
nitione vndiquaque doctissimus, perspica
cis ingenij, sobrius, & morum grauitate in
signis,tum etiam omni virtutum genere or
natissimus, omnisque ocij ac inertiæ impati
ens. Hic idem Hopperus ab adolescentia ita
studiis & virtutibus deditus fuit, vt nunquã
intermitteret diem ac noctem, qua non ali
quid scriberet vel legeret,atque Louanij bo
nis literis institutus, legum studio ita se de
diderat, vt summo auditorum applausu,eas
dem profiteretur : cui præter exactam iuris
quod profitebatur scientiam,felicissima ad
erat, vel ex tempore scribendi dicendique
facul

facultas, ita vt diceres orationem bonis electisque verbis, simul ac sententijs, ex vberrimo quodam manare fonte, adeo nec restitit vnquam, nec hæsit, nec intersiluit: vnde etiã sibi perpetuum nomen peperit, & fortunis, & dignitate suam illustrauit familiam, multosque egregios libros edidit, qui publicæ bibliothecæ traditi, magna cum gloria, per vniuersum Christianismum, diuenduntur. Ac tandem ob ingenij sui solertiam, insignesq; animi sui dotes, eo peruenit, vt ad Aulam Regis Hispaniarum accitus, summa moderatione, & perpetui sui nominis honore, iam multos annos Iustitiam administrauerit, omnibusque proceribus quàm gratissimus fuerit. Deinde ad Regem in Hispanias ob singularem suam prudentiam vocatus, tum à suo Rege, tum ab his qui apud Regem titulo & authoritate pollent, mirificè adamatus, in Hispaniis præmatura morte, vita functus est: cui certe multum debent studiosi omnes, quibus, plerisque suis doctissimis lucubrationibus, non parum contulit.

CAPVT IIII.

TErtia, Zelandia est Comitatus Oestergoe, quæ incipit ab Aula Dei, ab antiquis temporibus sic dicta, nunc autem vulgari lingua, *Nienkloester*, vbi nunc Leowerdia est sita, vt quidam volunt, & exten-

dit ſeſe in orientem vſque ad Lanum fluui-
um, qui vulgo, *die laures*, dicitur, & ad Au-
ſtrum vſque ad Bornam, fluuium incluſiue,
continens in ſe *Opſterlandt*, *Schotervvarff*, &
Sm llingerlandt, cum nobiliſſima Metropoli-
tana Ciuitate Leouardia, atq; Doccomio ci-
uitate Friſiæ antiqua & ſancta: nam ibidem
reliquias diui Bonifacij Epiſcopi & mar-
tyris, multis corruſcantes miraculis, qui-
eſcere, inferius ſuo in loco annotabimus.
Atque hæ duæ ſecunda videlicet & terti
(vt patrio more loquar) Zelandiæ iam vno
nomine appellantur *Veſtffreſlant*, ſiue Occi-
dentalis Friſia, & eius eſt tanta rerum om-
nium vbertas, vt prorſus nihil quod ad hu-
manos vſus pertineat, deſideres: atque anti-
quis adhuc gaudent priuilegiis & libertati-
bus, neque olim aliquem niſi Romanorum
Imperatorem, ſolebant agnoſcere, domi-
num. Veruntamen multa ac fere infinita cor-
porum ac rerum perpeſſi ſunt damna, pro
hac tuenda libertate, pugnando contra ex-
teros, principes, maxime Hollandiæ Comi-
tes, qui pene omnes Friſios ſuæ ditioni ſubii-
cere, conati ſunt, vt in alia deſcriptione latius
ac fuſius volente Deo adhuc dicetur, nunc
vero domini Burgundiæ ſubiecta ſub pro-
uinciali Curia Leouardienſi, prudentiſſime
feliciſſimeq; gubernatur. Et habet ſub ſe v-
nam ſolummodo Inſulam, quæ lingua vul-
gar

gari nominatur *Schyrmonckoghe*, quæ est alii-minor,& infęcundior,circumdaturq́; vastis-simo mari, & habet mediocres tumulos ac a-renosos montes, ad eam partem qua Oceano adiacet, vnamq́; villam & parochialem Ec-clesiam in arenoso loco sitam, & vento im-petuoso ex septentrione multis annis irru-ente, mare tam importune illisit ad littora, vt temporis successu, montes ac colles rue-rent in mare,& plurima terra ab eadem Insu-la absorpta est, cuius incolæ vtplurimum pi-scationi operam dantes, victum sibi acqui-runt, atque à piratis plurimum affliguntur, qui ibidem sæpissime latitant, æquoraq́; in-festant, nam ex istis altis littoribus præterna-uigãtes naues ex inopinato obruere possunt. Et aliquando vsu venit, vt mare in hac insula Balenas visendæ magnitudinis in littus eiici-at, quæ propter molem atque miram defor-mitatem, aspicientibus magnum terrorem ac timorem incutiunt. Patet ab hac Insula, incolis iter nauigabile in Frisiam trium ho-rarum spacio, secundis quidem ventis, & quando serenum est cælum, potest hæc Insu-la facile videri in Frisia,& est ibi inter conti-nentę& Insulam, sinus quidã maris, in aliqui-bus locis vadosus, vbi conchæ marinæ legun-tur. Pręterea tãta est illic, & in aliis insulis aë-tis temperies, vt pisces non sale conditi, sed tantum sole & aëre siccati, totum annum du-

rare possunt. Habet etiã hæc Insula cuniculos in maxima copia, qui habitantes in suis antris securũ ibi elegerunt domiciliũ, Iuxta illud

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris.

Nam in arenosis istis montibus & collibus saltantes, vlma ac palustri iunco pascuntur.

CAPVT V.

Hic iam de situ ciuitatis Doccomanæ aliquid dicere, amor dulcißimæ patriæ meæ, me cogit.

EST autem ciuitas Doccum, sita in Dongerdelia, in qua sum natus, & à pueritia educatus, haud procul distans ab Oceano. Locus in quo hæc ciuitas constructa est, primo fuit dumosus & inuius, paludinosus atque horridus, postmodum vero propter commoditatem subortam, villa facta est, ac deinde ciuitas constructa ac aucta, quid enim non mutat peruigilis instantia curæ atque laboris. Amnem habet ex portu maris Scholbaich bis in die alluentem & refluentem, qui in Oceanum delabitur, ipsamque ciuitatem quasi mediam interfecat, ad nauigationem plurimum accommodus, ex quo, magna ciues ibidem habitantes, sentiunt commoda, quia maiores naues ad hanc ciuitatem, per illum amnem deduci possunt, non quidem equis, sed impulsu ventorum, vel maris fluxu atque refluxu concitantur. Hæc ciuitas (vti à maioribus meis accepi) olim emporium, omnium occidentalium merci-

mercimoniarum, fuit celeberrimum, quamuis modo non vſque adeo ſit frequens & plena habitatorib⁹ & mercatoribus. Pontes habet duos ligneos, ſtructos ſuper amnē, quorum alter celeberrimo ſilice conſtratus, loco fori publici celebratur, in quo quotidie frequentes fiunt ciuium deambulationes. Hæc inquam ciuitas olim altis vallis & profundis foſſis, magniſq; propugnaculis munita fuit: cæterum temporibus Caroli quinti Imperatoris, anno domini, 1525. deſtructa ac euerſa, nunc temporis vero iterū anno domini ſcilicet, 1582. factionibus Goſeanorum, reædificata, reparata, vallo ac foſſa vti prius, munita. Forum habet ſatis amplum & oblongum, magnificis & precioſis ædibus ornatum, in quo publica domus in medio, ſpeciem peninſulæ præbens, conſtructa eſt, in qua libripens ad vſum Reipublicæ conſtituta, vbi referta vaſa butyri, caſeique, & cæteræ merces omnes, an iuſtam habeant quantitatem, ponderantur atque menſurantur. Et quidquid præterea ruſtici ex circūuicinis pagis, ex agris ſuis percipiunt fructus, eodē venale portant. Ciues ſunt induſtrij, & plerumq; negotiatores callidiſſimi. nundinas annuas habent quatuor, atque duas Eccleſias parochiales, in vno cœmiterio conſtructas, vnam Sancto Martino, & alteram Sancto Bonifacio dicatam. præterea extat ibidem quoddam

Xenodochiũ ſatis ditatum vna cum Sacello Diui Anthonij. Ornatur etiam Ciuitas hæc magnifica Abbatia Sancti Bonefacij, ordinis diui Auguſtini, Præmonſtratenſis: in cuius Eccleſia eſt ſepulchrum eiuſdem Sancti Martyris non procul à choro, teſtimonium ſancti funeris referens. Etiam aliorum quampluri-morum Sanctorũ Martyrum reliquiæ & oſſa, ibidem in crypta ante chorum in omni honore ac reuerentia obſeruantur, & venerantur: qui in eodem loco Martyrium pro Chriſti nomine, meruerunt. Exiſtit ad Occidentem illius tumbæ, fons pulcherrimus ac ſalutifer ſemper aquarum plenus, & nunquã effluens, à prædicto Martyre (Deo tamen architecto) cũ ea regio incredibili ſiccitate exaruiſſet, miraculoſe, paſtorali baculo percuſſus: cuius quidem aqua, tota eſt limpidiſſima atque dulciſſima, multis profecto miraculis corruſcans: nam eius potu febricitantes ſanari, alleuari, exiſtimant. præter hoc etiam egenis, pauperibus, infirmis ad valetudinem recuperandam, multum conducens atque conferens. Extitit præterea ad mea vſq; tempora, calix quidam ex puro auro, & baculus paſtoralis ex ebore, ornamentum item Miſſale, quod caſulam vocant, & teſtamentum nouum Italicis literis in pergamena propriis digitis conſcriptum, quibus omnibus Sanctus ille Martyr Bonifacius, Miſſam celebra-

re,

re, ſolebat: quæq; omnia magnifico apparatu, ſeptenis annis, publicè populo oſtendebantur. Viſebantur etiam mea ætate, cum pueritiæ annos agerem, atque apud Doccumanos bonis literis ac moribus operam darem, panes quinque ſiliginei, ab eodem martyre, in formam lapidis tranſmutati: priſtinum tamen candorem & ſaporem, in hunc vſque diem habentes, pro vt inferius tertio libro, vbi de eius vita latius agetur, planius dicemus. Hæc omnia quæ prædicta ſunt, ob ſanctimoniam ac antiquitatem, in archiuis dictæ Eccleſiæ ad hoc vſq; tempus, ſunt obſeruata, cum adhuc nonnullis aliis, ſanctorum Martyrum ſociorumque eius reliquiis, toto orbe celebrandis, quæ in feſto dicti Martyris die, in populi frequentia, ſumma cum deuotione, ad huius Martyris & militis Chriſti, memoriam ac mortem refricandam, exornandáq; oſtenduntur, viſitantur & ſpectantur: hæc qui viderit (ſicuti & ego hæc me ſæpius vidiſſe fateor) nec quicquam antiquius, nec mirabilius vſquam vidiſſe, aſſeret. Et quamuis hæc iunioribus videantur eſſe fictitia ac fabuloſa, tamen ſuccinctiſſime ea, quæ huius rei veritatem oſtendent, inferius annotabimus. Hic fuit ille Bonifacius, qui aliquando rogatus, an liceret ſacerdotibus ligneis calicibus ſacrificare, fertur reſpondiſſe, olim aureos ſacerdotes ligneis

vasculis litasse, nunc vice versa ligneas sacerdotes esse, atque aureis calicibus uti: cuius quidem prædicti memorabilis Martyris, in decretis Canonicis fit mentio, sed verbis inuersis. Hæc inquam Ciuitas tam priuatis ædificiis, temporum successu, exornata, ob factiones *Schiringanorum*, & *vetcopirorum* grauissima pertulit damna, & in contrarias factiones sæpius expugnata, ferro ac flamma consumpta, tandem præualente altera factiosorum parte, iterum extructa, & post excidium renata atque reædificata, variisque fortunæ procellis agitata: iam tandem sub Philippi Regis Hispaniarum tutela requiescens, longa pace cuncta refouente, post tristes fauillas & rudera feliciter floret, opibusque & diuitiis mirum in modum abundat.

CAPVT VI.

NVnc vero ad descriptionem Ciuitatis Leouardianæ calamus noster conuertatur, hæc enim est Ciuitas Frisiæ occidẽtalis Metropolitico ornata honore, Oppidum certe nouum ac recens in meditullio occiduæ Frisiæ situm, semicirculi instar, infra centum vel circiter annos prius à quodã præfecto vrbis, Magistro Petro Hoppers vallo communitum, atque temporum successu ob fertilitatem terræ in magnificentia & diuitiis cito adauctum. Amnem habet per-

nauigabilem fluentem per singulas fere Ciuitatis plateas, omni genere merciũ accommodatissimum, atque plurimos pontes super amnem, ex coctilibus lapidibus constructos, in quibus frequentes fiunt ciuium deambulationes. Solum per circuitum Ciuitatis est valde fœcundum, quare etiam ibidem maxima est butyri & casei copia, quæ hebdomadatim ex circumiacentibus pagis atque villis aduehuntur, atque confestim à peregrinis mercatoribus, haud leui publici ærarij vectigali quæstu, nauigiis ad circumiacentes regiones portantur, ciuesque ex tam frequenti multarum gentium conuersatione opes suas augent, magnumque quæstum faciunt. Atque ex cunctis vndique regionibus, tanta rerum & frumenti copia vicissim aduehitur, vt singulis septimanis, die videlicet Sabbati, publicæ nundinæ celebrentur. Itaque præ ciuium & commertiorum frequentia, merito totius prouinciæ emporium appellatur. Quantum vero attinet ad humanæ vitæ vsum, nulli Ciuitati Frisiæ est secunda, nam gratissimis & lautissimis piscibus omnis generis, abundat, vnde etiam in hac ciuitate Leouardiensi delicatius, quàm aliis in Frisia locis, viuitur, & in mediocri precio, panis, caro & pisces habentur. Est quoque in hac ciuitate, sedes Episcopalis, anno domini, 1570. ex optimo consilio Regis

gis Hiſpaniarum erecta, eiusque beneficio mirum in modum dotata, in qua ſunt venerandæ dignitatis Canonici, qui in horis nocturnis ſiue diurnis, nō intermittunt laudare nomen domini Dei noſtri. Habet hæc ciuitas tres parochiales Eccleſias, quarum vna eſt Baſilica Epiſcopalis *Oldehoeff* in honorem Sancti Viti, dedicata: altera, Diuæ Mariæ virginis, *Nyhovven*, vocata: tertia vero Eccleſia Sanctæ Catharinæ nominata. Sunt etiam & ibidē Franciſcanorum & Dominicanorum Prædicatorum, duo amœniſſima monaſteria, ac templa, maximis ſumptibus extructa, atque duo Cœnobia ſanctimonialium virginum, quorum vnum eſt ordinis Iacobitarum incluſarum, quæ perdiuites ſunt, atque in hoc virum aliquem ſeu mulierem aliquam ingredi, grande piaculum eſt: alterum vero eſt, ſororum Sanctæ Annæ, ſub regula Sancti Auguſtini militantium. Præterea ſunt in eadem Ciuitate, duo valde honeſta Xenodochia, eaque opulentiſſima, cum eorum Sacellis, quorum num in honorem Diui Iacobi Apoſtoli, alterum in honorem Sancti Anthonij eſt fundatum, vtrumq; profecto bene dotatum, & ad ſuſtentationem pauperum, peregrinorum, ægrotantium, egregiè ornatum, ita vt vix in tota Friſia par & ſimile illis inuenias. Habet etiam Leouardia perpulchras, & in domeſticæ ſuppelle-

ctilis

ctilis nitore, valde ornatas ædes,atque nitidas, plateasq́; lapidibus, silicibus perpolitis, stratas. Ferunt quidam antiqui Frisij. (quod & aliquo modo similitudinem quandam referre videtur) Leouardiam dictam, à quodam Caupone, cui nomen erat Leo, qui in eodem loco, hospitium, siue passagium cunctis transeuntibus præbere solebat, quasi dicerent, ***Levve Vveert***, vernaculaque lingua, nomen loci ita inditum,ac deinde corrupto vocabulo ***Levverden***, denominatum, cuius quidem initia primo parua fuêre,sed deinde multas per tempora habuêre accessiones. Sed hæc maiorum nostrorum relatione accepimus. Insuper ibidem quamplurima ædificia, ex decreto Magistratus, non straminibus aut arundinibus vt antea, sed coctilibus tegulis successiuis temporibus,constructa sunt, tantaque prosperitate Ciuitas breui tempore excreuit,atque in tanta copia ibidem homines habitare cœperunt, vt ex hospitio villa, ex villa Oppidum nominatissimum sit ædificatum. Tandem vero Anno domini, 1501. ex decreto Alberti Ducis Saxoniæ,& tum temporis domini Frisię ibidem munitissima Arx est constructa,bombardis aliisque id generis munitionibus (quas haud nouit vlla vetustas)decorata, qua, Ciuitas, maiorque pars Frisiæ in officio retineri possit. Instituit etiam Dux & dominus ibidem Curiam

prouin-

prouincialem, ſiue conſiſtorium aulicum, in quo togati Doctores duodecim ex equeſtri dignitate, ſex patriotæ ſiue intranei, & totidem ex plebeis peregrini, aſſeſſores ſunt. Aduocatorum & procuratorum ibi admodum frequens eſt numerus, omnes malefactores ex tota prouincia, Leouardiam vſque, ad prouincialem Curiam deducuntur, atq; arctæ cuſtodiæ in Arce tradūtur, vbi ſunt horribiles carcerum loci, quibus mancipantur, qui ob crimina atque facinora interimendi, veniunt; ibidemq́ue executioni mandantur. Ciuitas habet Senatum ex optimatibus ciuium quotannis nominatum, & à Regio pręfecto Friſiæ confirmatum, à cuius authoritate ac iudicio, prouocatur ad Senatum Regium, ſiue Curiam prouincialem: eoq; etiam recurrunt in deciſione cauſarum ſuarum, omnes Iudices rurales ex tota prouincia: nam illi mittunt eò ſuas dubias cauſas ad Iuriſconſultos (quorum ibidem eſt magnus numerus) diiudicandas. Magna ſiquidem & veneranda ciuilium legum authoritas ibi habetur, & præcipuè fulgent atque florent docti Iuriſconſulti, ita vt merito doctiſſimorum virorum emporium dici poſſit, quiq́ue nodos omnes, difficileſq́ue Iuris quæſtiones optimè ſoluere, enodare, & explicare norūt, vt rectè quidam in eius laudem luculenter & graphice his panegyricis verſibus, ſcribat.

Curia sic celebris, sacrosanctumq; Senatum
Consilio Marcellus adest, pietate Metellus,
Fabricius, Curius, Fabius, Cato, Scipio, Brutus,
Lælius, & prudens, & legifer ille Licurgus,
Factio nulla viris, nec perturbatio præceps,
Omnibus æquata trutinantur rite bilance.
Hic quoque sunt docti legum, iurisq; periti,
Et qui iustificant alios pietate, fideq;
Pragmatici, exculti ingenijs, multumq; diserti,
Quiq; orant causas, Patroni rite vocantur,
Nilq; loci Rabulis, qui nigrum in candida vertunt
Palmam inter Frisias vrbes Leouardia gestat.

Et quamuis Ciuitas Leouardia inter nouas Frisiæ Ciuitates numeretur, nullaque antiquitatis vestigia in ea appareant, laude, & vetustate digna, nihilominus temporibus Caroli Quinti Imperatoris, & Philippi Regis Hispaniarum, in potentissimam ac florentissimam euasit Ciuitatem, ædificiis nimirum multis & pretiosissimis mirum in modum aucta: Ciuitas profecto tota ornatissima, pulcherrima, magnificis atque eximia virtute præstantibus viris illustrata, foris verò amœnissimis campis, ac hortis fœcundissimis, variisque pomorum generibus, præcipue aureis malis præter alias nationes dotata decorata. In hac Ciuitate, à pueritia educatus est doctisimus ille Viglius Zvvichemius iuris vtriusque Doctor, Frisonicæ gentis vnicum decus & lumẽ incomparabile sui seculi, multorumq;

torumque ſtudioſorum & doctiſsimorum virorum, alumnus, vir grauis atque in cauſis dicendis exercitatiſsimꝰ,& in obeundis magnis & arduis negotiis, ſumma præditus induſtria. Hic inquam Zvvichemius ad Reipub. munia Bruxellas à Carolo Quinto. primo vocatus, ac in Aulam Regis Hiſpaniarum pertractus,regni regiorumque negotiorum vndis emerſus,magis amabat ſtudia quàm colebat.Itaq; in ſua ſenectute,ſuis ſumptibꝰ & ſtipendiis,Collegiũ ſtudioſorum Louanij conſtruxit, vbi etiam doctiſsimos quoſque viros ſuis ſtipendiis alit, vt bonas literas & linguas iuuentutem doceant,in quo maximam Friſiorum adoleſcentium multitudo, optimis diſciplinis, & vera pietate liberaliter & gratis inſtituitur: quæ res permagnos progreſſus attulit rei literariæ, vir certe immortali laude dignus,cuius perpetua memoria huic Academiæ ſummo vſui,& ornamẽto eſt. Fuerunt etiam & alij plures docti atque illuſtres viri Friſij, quos breuitatis cauſà nos modo non commemorabimus. Quibus tamen inter cæteros adnumerare placuit ex cognatione mea, in materna linea Iohannem Doccomienſem, iuris vtriuſq; Doctorem,magnum auunculum meũ,ſui temporis Iuriſconſultum pręſtantiſſimum, primo Cameræ Imperialis aſſeſſorem,ac deinde ob variam eruditionem, & rerum geſtarum gloriam

riam in Consilium Ducis Cliuiæ, accitum; Anno vero Christi 1540. Coloniæ peste extinctum, in cuius ædibus etiam aliquamdiu habitaui, cum Coloniæ literis bonis operam darem: à quo tum temporis multa vidi in illo virtutum exempla, atque doctrinæ. Tum etiam (teste Erasmo Roterodamo) Hayone Hermana iuuene profecto, diuinæ indolis, cuius extant epistolæ aliquot, quibus nihil purius, suauius, aut sanius: is fortasse omniũ palmam tulisset, si naturæ felicissimæ par accessisset industria.

CAPVT VII.


QVarta Zelandia siue Prouincia, est *Stellingvverff*, *Steenvvyck*, Cunera, & *Vollenhoue*, cum omnibus adiacentibus terris Transissulanis, vsque ad Dauentriam, incluiue, & hanc Zelandiam Episcopi Traiectenses totam sibi subiecerunt, exceptis *Stellingvverff*, & *Schotervvarff*, cum inferioribus syluis, qui fortissimè multis ac grauib⁹ resistẽtes impugnationibus Episcoporum Traiectensium, adhuc cum duabus supradictis Zelandiis sunt restricti, & sub gubernatione Regię Maiestatis Hispaniarum, Curiæ Prouincialis Leouerdianæ felicissimè, reguntur. Quæ Zelandia, nullam ad eam partem, qua mari mediterraneo incumbit, habet Insulam, sed in se multas ac egregias vrbes, vtpote Dauen-

triam, Svvollam, Hasseletum, Steenvvycam, & Vullenhouam. Et est quidem Dauentria Ciuitas Frisiæ antiquitus reputata, & Imperialis merito dicta, ad Insulam omnino commodè sita, muris & turribus latericiis, portis & propugnaculis altissimis optimè munita, & circumdata: magnisque ædificiis, & tribus Parochialibus Ecclesiis ornata, quarum vna ad montem, altera Diuæ Mariæ, & tertia Sancti Lebuini Martyris, Basilica Episcopalis dedicata, in qua præfati Martyris ossa superiori tempore, requiescebant. Habet præterea etiam Dauentria duo monasteria, vnũ Franciscanorum gaudentium, alterum fratrum Diui Hieronymi, pro seminario pauperum clericorum, & quatuor monialium conuenticula. Agnoscunt Imperatorem Romanorum, pro suo domino, atque sese sub eius Imperio esse gloriantur, licet tamen Regi Hispanorum nostro æuo pareant, eumq; agnoscant. Habet etiam priuilegium cum aliis duabus transissulanis Ciuitatibus sibi confœderatis cudendi scilicet monetã propriam: & pontem ligneum super Isulam sumptuosissime extructum, quo facile quis exercitum traiicere posset. Ciues fere omnes exercent grandia commercia, regio autem per se satis rudis & arenosa, pro bona eius parte, syluis obducta, multisque arboribus oppleta, materiam præbet, ad naualem præ-
cipuam

cipuam fabricam. Schola etiam particularis ibi olim insignis fuit, cui præfuit aliquando Alexander Hegius græcæ linguę & latinę insignis professor, cuiꝰ discipuli fuerunt, Erasmus Roterodamꝰ, & Iohannes Murmellius, viri profecto insignes, & singulari doctrina conspicui, inter quos prædictus Murmellius Dauentriā publicō stipendio accitus, exitiali morbo correptus, anno domini 1507. vita functus est. De morte ipsius, suspicio non admodum vana exoriebatur, quasi ab æmulo quodam veneno sublatus fuisset, sed qui ægrotanti adfuere artis medicæ peritissimi, eundem pleuresi extinctum fuisse, affirmabant. Habet etiam hæc Ciuitas insignem Typographiam, qua omnium generum diuersi ac optimi quiq; libri imprimūtur. Aliud peculiare nihil habere potui de hac inclita Ciuitate Dauentriensi. Svvolla vero Ciuitas ad Vidrum fluuium sita, in quem defluit Vechtus, nundinis multis clara, vallibus, turribus, portis, & altis fortalitiis satis munita est, & præclara ab antiquis schola particulari decorata, vbi & gręca lingua & latina optime docetur. Hæc Ciuitas à Ptolomæo denominatur, Naualia, libro secundo, capite vndecimo, vnamque monetam cudit, cum Dauentria atque Campena. Sed ab antiquis temporibus iuxta fœdera cum Groninga & Dauentria inita, vnam monetam in si-

gnum confœderationis cudebant, cuius epigramma subsignatum cum insignijs dictarum quatuor Ciuitatum, ab vtraq; parte talem formam habebat, qualem ego vnam vidi.





CAPVT VIII.

QVinta Zelandia est inter Lanum siue Lanicam & Amasum fluuios inclusa, cum Drentia & *VVestervvolt*, vsq; ad Ascanij vicum, nunc *Aschendorp*, VVestphaliam versus se extendens, & hæc quidem Zelandia, quondam nulli externo paruit domino, sed tantum inclitæ Ciuitati Groningensi subiecta fuit, quæ in meditullio siue medio fere terrę sita, omnem illam Zelandiam (excepta *Reyderlandt*, quæ Comitis Emedensi

densi paret)tributariam fecit. Sed anno domini 1536. à nobili ac generoso domino Georgio Schenck præfecto Frisiæ, domui Burgundiæ cum circumiacenti territorio subiugata, Carolo quinto Imperatori, parere cœpit, atq; vno nomine moderno tempore appellatur ager Groningensis, siue territoriũ Groningẽse. Vnde videtur quod Groninga sit in terminis Drenthiæ sita. Constat enim, ꝙ Henric⁹ hui⁹ nominis tertius Imperator Romanorũ, anno domini 1047. vndecimo Calẽ. Iunij, in Bulla sua aurea donauit ex consilio procerũ & prælatorum Ecclesiæ Traiectensis, pro testamento patris, & antecessoris sui, (cuius intestina ibidẽ in summo templo sepulta) comitatum Drentiæ, addens in eadem Bulla, vna cum villa nostra *Groningen*, in dicto Comitatu, situata: & sic inuenitur scriptum in parietibus maioris Ecclesiæ Traiectensis. Est autem Drentia regio paludibus fere obducta, vnam solummodo habens viam militarem angustam versus aquilonem, per quam solummodo traduci potest exercitus in Frisiam, vbi est Arx Couerdia, quæ est quasi propugnaculum totius terræ, vt ab illa parte nemo ingredi queat, si Arcis præfectus repagula obiiciat, vel si via illa ab incolis sit obsessa, facile prohibere potest. Cætera loca adeo sunt lutosa & perplexa, vt vix expeditissimis sint peruia. Gens est inquieta, &

ſtricta parſimonia, dura, laborioſa, plurimoque labore continuo, vitam perduram egit, atq; bobus ſuis terram arat. Multis arboribus glādiferis oppleta eſt regio, materiam prębet ad naualē fabricam: præcipuæ arbores tanta craſsitudine excreſcunt, vt in circuitu denos aut octenos pateant pedes. Mulieres quoque virorum perferunt labores, aſſuetæ, vna cum viris ſuis opus facere: quo fit, vt continuum exercitum, & victus parcitas, corpora eorum macilenta ac robuſta efficiat, longioriſq; ſunt ętatis quàm in Friſia homines, vt qui plerumq; annis centum vitā agant. Quin etiam quoſdam hic inuenias octogenarios, qui agris arandis validiſſimi adhuc ſunt, ita etiam ſæpiſſime vt iuniores illis palmam dare cogantur, videasq; ibi viros centenarios, qui adhuc integrum ordinem dentium illęſum habeāt. Omnes ſunt humanitatis atque ciuilitatis amantiſſimi, neque à Friſiis ſeſe liberalitate atq; munificentia ſuperari ſinunt. Ager quatenus colitur & ſtercoratur, ſatisq; fertilis eſt, & ſatis frumenti producit, ſed inſtituuntur ſæpe ad aratrum vnum, quatuor aut quinqne boum paria, atque duo equi. Terra illorum alioquin non eſt mala, nam abundat iumentis & ouibus, cęterum animalia omnis generis ſunt minora, quàm in Friſia. In humilibus caſis habitant, in quibus ignis in medio conſeruatur, ad quem cum Pa-

terſa-

terfamilias ſedet, iumenta omnia, totamque domus ſuæ ſuppellectilem, cernit: habent enim ſub eodem, quo ipſi tecto habitant, ſine vllo interſtitio pecora ſua, & quidquid ex agro pecoreque commodi percipiunt, Groningam deferunt, & ad vendendum portãt. Hæc Zelandia habet ſub ſe ad Aquilonẽ Inſulas duas, *Rottermeroghe* videlicet, & *Boſch*, inhabitabiles, circumuallatas altis arenoſis montibus, atque cuniculis plenas.

CAPVT IX.

Deſcriptio Ciuitatis Groninganæ.

GRoninga Friſiorum ad differentiam alterius Groningæ in VVirtenbargenſi ditione, vulgari lingua *Groningen* vocatur. Et eſt Ciuitas Friſiæ emporium celeberrimum, quam à quodam Grunone Troiano fratre Athenoris, regis Franciæ nomen ſumpſiſſe, quidam exiſtiman. Quia enim ſonus Gruno proprior eſt vocabulo Grunenborch, veriſimile eſt, ab ipſo Grunone primo conditore, trecentos ſeptuaginta ſeptem annos, ante natum Chriſtum originem primo ſumpſiſſe, & arcẽ eo loco Grunenborch extruxiſſe, cuius dominium poſtea dixere Burchgrauium. Tametſi multi negent tunc iacta fuiſſe fundamenta: communi tamen opinione & doctorum hominum authoritate inter omnes conſtat, hanc Ciuitatem vetu-

ſtate eſſe commendatiſſimam, de qua vrbe tota prouincia denominationem habet. Cæterum quidā à viridi ſiue virenti parochia, propter amœnitatem loci, & frequentium herbarum & plantarum viriditatem appellari, quaſi à *Groen* & *Gha*, (quod ex Friſonico idiomate in latinum conuerſum parochiam ſonat) nomenclaturam ſumpſiſſe, aſſerunt. Cui aſtipulantur etiam nonnihil inſignia vrbis, ſcilicet ſcutum album, cum viridi trabe. Verum Cornelius Tacitus Gruines populos eſſe inferioris Germaniæ meminit lib. Annalium vigeſimo primo. Vnde ego Groningam nomen & originem duxiſſe exiſtimarem. Hæc præclara Ciuitas & Imperialis à Ptolomæo libro ſecundo Geographiæ, capite vndecimo, & in tabula Europæ quarta Philenum nuncupare videtur. Sita quaſi in meditullio Friſiæ, in amœno loco, irrigua duobus riuulis in Oceanum decurrentibus, & piſcoſis, qui ex paludibus & ſtagnis Drentiæ ortū habent. Campos habent acemniſſimos, tum aucupiis, tum etiam venationibus idoneos, & cum temporum ſucceſſu, ciuium ædibus mirum in modum excreuit, ab incolis primo fuit cõmunita ligneis mœnibus, ex tabulis quercinis fabricatis, & poſtmodū temporibus Henrici quarti anno ab incarnatione domini, milleſimo centeſimo decimo, Ciuitatis mœnia primo ex coctili lapide

pide à fundamentis sunt iacta, & muro cir-
umdata, forma fere quadrata munita est,
nirificè Monasteriorum & Ecclesiarum or-
namentis, decorata: totius Frisiæ & Drentiæ
Metropolis, eò quòd totius Frisiæ regionis
media sit, & mercimoniis omnibus copiosis-
ima. Hæc ciuitas olim dum sui iuris esset, li-
bera fuit sub Romano Imperio, ac latissimã
ditionem in Frisios occiduos habuit, cui eti-
am paruit maxima Frisiæ pars, nempe *Oester-*
e: sed moderno tempore ipsa paret domui
Burgundiæ: ita enim temporum vicissitudo
& omnium rerum est. In ciuitate enim Leo-
uerdiana & Doccumana, per suos Castella-
neos de publicis & priuatis causis cognosce-
bant, leges statuebant, atque ius dicebant, se-
cundum plebiscita vrbis Groningensis, neq;
licebat Frisiis tum temporis ad aliquem aliũ
Magistratum, quacumque de re prouocare
aut appellare, nisi ad Senatum Groningen-
sem. Eam ob rem multas calamitates pro li-
bertate sua defendenda à finitimis principi-
bus passa & bello fuit impetita, tandẽ ditio-
ni domus Burgundiæ subacta: ciues tamen
nihilominus retinent in hunc vsque diem
propensum animum ad Romanum Imperi-
um. Quadrangularis fere est ciuitas, & habet
mœnia duplicia, intrinsecus ex lapidibus cõ-
structa, extrinsecus vero ex argilla lutosa,
crassissimum vallum magnæ latitudinis, va-

riis arborum generibus consitum & septum turribus propugnaculisque validissimis opportuno loco inter se dissitis munitum, vnde in circumiectam planitiem longe, lateque prospicitur, vigiles in turribus & propugnaculis non voce, sed tuba vigilias custodiasque agunt, correspondentibus inuicē tubę pulsũ: & si quis forsan vigilũ semisomnis vel paruo horæ spacio ad tesseram non responderit, ille ipso actu, tum veluti suarum proditores aut desertores custodiarũ, carceri mācipabatur. Fossa aquæ plena & profunda vltra ducentos pedes ciuitatis circuitum pandit. Portas habet maiores & excellentes octo, excelsis turribus insignitas, bombardisque multis & magnis refertas, plus quàm vlla alia Frisiæ ciuitas. Nemo nocte in ciuitatem intromittitur, ne ipse quidem Consul, nisi in publicis negotiis abfuerit. Habet etiam hæc insignis ciuitas duas Parochiales Ecclesias, & intra septa vnius cœmiterij, duas constructas: quarũ vna rotunda est, & Diuæ VValburgæ dedicata, ædificium profecto admirabile, & singularē antiquitatis speciem per se ferens: cui labori lapidis artificio par opus instar tēpli Diuæ Mariæ ad rotundam vrbis Romæ constructum: qualem nec in Frisia, nec alibi ego vidi; habens tectum plumbeum, & Hunnorum industria (vti fertur) antiquitus tā quam inexpugnabile castrum & refugium

barba

arbarorum, ex lapide puniceo, siue vulga-
i vocabulo, *Dvvessteen*, seu topho ædifica-
um, vt etiam antiquissima testatur structu-
a. Sunt qui asserunt à Romanis primo pro
elonio Frisiorum, temporibus Drusij Im-
eratoris extructum, vbi Frisij tributum in
sus militares coria boum pendere, sole-
ant. Cuius parietes & structura, tantæ firmi-
atis adhuc hodie sunt, vt nulla arte frangi
queant, & quoslibet inspectores ita in admi-
ationem adducunt, vt firmiter iudicent
nullum ædificium ea tempestate reperiri po-
uisse, præstantius. Nec desunt qui asserunt
sub hoc templo, antrum siue specum fuisse
cauernosum, quod in proximo vico Helpe-
na, extra vrbem subterraneis ductibus, sese
prodere & erumpere dicitur: compluresque
olim fuisse, qui curiose cupiditate stimulati,
absconditæ cauernæ viam cognoscere stu-
dentes, in speluncam sunt intromissi, & vt
facilius viam reperirent, faces atque lucer-
nas secum ferentes, vbi aliquanto processis-
sent, ventorum tantam sensisse procellam, vt
lumen extingueret, quæque illos nõ sine ma-
gno vitæ periculo repulit, vt numquam se
tale, quid sensisse affirmarent, quæ etsi mini-
mè peroptaui videre, ab aliis quærendo &
sciscitando, vt varia, sic etiam valde dubia,
eius rei famam reperi. Permansit itaque in
hunc vsq; diem res illa incognita, & spelun-

ca ob-

ca obstructa, neque iam quispiam reperi potest, qui tantum discrimen amplius sit au sus aggredi, & opacam eius crepidinem in trare præsumat. At postea hoc ædificium i honorem Dei (profligatis Hunnis) Diu VValburgæ dedicatum, & consecratū. Est etiam fons ad Orientem chori huic templ propinquus, habens scatebram humilem, a quis dulcissimis, sed ilico tumescens & efflu ens, irrigat totam plateam, atq; ab omnibu satis grato sapore commendatur. Multa eti am alia in hac Ciuitate antiqua monument vetustas tradit. Alteram adhuc habet hęc Ci uitas Ecclesiam parochialem in honorem Diuæ Mariæ virginis ad ripam fluminis AE constructam, primo ex Sacello Ecclesiam parochialem, propter frequentiam plebis, factam. In qua sub picta imagine Caroli Magni ad occidentalem ianuam, in pariete incrustata, characterib⁹ fere ignotis & obliquis scriptum reperi. Carolus Magnus Frisiam libertate inæstimabili donauit, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittet. Præterea Basilicā habet Diui Martini, authoritate summi Pontificis in collegiatam, eleuatā: ac eius statuto cautum, si qui ciuium filij ad gradum Licentiatus sunt promoti & idonei, in eius templi canonicorum album reciperentur, & præ cæteris præferantur. In hac Ecclesia quiescit Sancti Odgeri martyris & leuitæ

ſtæ corpus, & alterum brachium Sancti Ioannis Baptiſtæ. Habet etiam turrim magnæ titudinis, ex quadrato lapide & ſilice duſſimo, atque elaborata mira arte conſtrua atque ædificata, vnde ad quinque milia ſa Friſonica in planiciæ, ſereno cælo facilime videtur, opus profecto pulcherrimũ, & ngulari admiratione dignum, quod in hoiernum diem ſpectantibus recentiſsimæ tructuræ videtur. Vt rectè dixeris,

xiſtit turris longe ſcitiſsima mundi,
Dinumeranda inter Creticis ſpectacula ſeptem.

In hac inquam altiſsima turre, diurni cuſtodes aduentantes equites, tuba ſignificare olent, vt hi qui portas inferius obſeruant, præmoneantur, vt in maiori tutela habeant uam Ciuitatem. Huic turri ſuperſtructa eſt, urricula aliqua, quę in modũ lucernę aſſurit, altitudine paulo plus quàm duas aut tres d ſummum haſtas ſuperat, in cuius cacumie pendet campana magna, quæ horis ſingu- is ſonum reddit, Pulſat etiam adhuc alia cãpana in hac turri, quando in ciuitate tumulus aliquis excitatur, aut incendium quoddã ritur. Si quis à ſummo turris loco, oculos n terram defigat, homines inferius ambuantes, quamuis procerioris ſtaturæ, non aliter quàm pueri vnius tantummodo anni apparent, in qua turri adhuc alia pendet prærandis campana, qua veſperi circa nonam

pulſa-

pulſatur, ac poſt eius campanæ ſonum, nemi-
ni licet noctu per ciuitatem vagari ſine lu-
cerna. Habet etiã hæc laudabilis ciuitas, duo
ordinis mendicantium amœniſſima & pul-
cherrima Cœnobia, & templa Franciſcano-
rũ, videlicet de Obſeruantia, & Dominica-
norum Prædicatorum, non diſſimilia palla-
tiis regum, & aulis inſtructa, amplis & ſum-
ptuoſis templis, quorum alterum, videlicet
Prædicatorum, anno domini, 1308. die Pri-
cæ Virginis à Domino Ludulpho de Groni-
beca præfecto ſiue Burchgrauio in Gronin-
gen fundatum eſt. Præterea habet etiam qua-
tuor Conuenticula Sanctimonialium, quo-
rum duo militant ſub tertia regula Franci-
canorum, pleræq; ex optimatibus, & patriciis
ſanguine ſic ſatis dites: & tertium Monaſte-
rium Bequinarum ab antiquis temporibus
vetus Conuentus nominatum, nunc vero
vulgari lingua Spiritales ancillæ nominan-
tur: & quartum Monaſterium Sororum Diui
Hieronymi habitu viduarum ſecularium in-
cedunt. Extant etiam in eadem Ciuitate duo
valde honeſta & ditiſſima Hoſpitalia ſiue
xenodochia cum Sacellis, quorum vnum
in honorem Sancti Spiritus ædificatum, alte-
rum vero Sanctæ Gertrudi eſt dedicatum,
in quibus ſuſtentantur ciues depauperati, &
adhuc quatuor alia Hoſpitalia mediocriter
dotata, cum Sacellis eorum, ad ſuſtentationẽ

eregrinorum pauperum, valde propitia & pta: atque vnum adhuc Monasterium Diui Hieronymi fratrum pro Seminario clericorum pauperum fundatum. Est quoque nostris temporibus, bonarum artiũ sumptuosissimo Gymnasio ob loci commoditatem rnata ciuitas, quod meo tempore celebre eddidit, insignis vitæ Regnerus Prædinius, eiusdem scholæ moderator, qui eruditionis uæ monumentum post se in scriptis reliquit, & de schola, sua virtute & doctrina bene meritus est, cuius tempore frequens admodum fuit discipulorum numerus, vir magnæ æstimationis, atque singulari sobrietate, ac ipsa vitæ rigiditate, qua ab ineunte ætate vsus erat, valde exhaustus. In cuius laudem à Doctore Cypriano VVommelio Frisio, hi versus sunt deprompti.

Haud mihi continuo solet admirabilis esse,
Si quem fert oculis publica turba suis.
Sed quem commendat quisquis laudabilis ipse,
Hunc ego confestim deueneratus ero
Ergo frequens, quum tu memor es doctissime Thoma
Regnero, eloquij flumen inesse mecum.
Atque vel Isocratis Veneres dicendo referre,
Vel Demosthenaeos telaq; viua grauis.
Nec modo Romulijs vbertim vocibus vti,
Attica, sed parili verba sonare modo.
Nunc illum statuo, reuera existere talem
Et Frisiam tantum gaudeo habere decus.

Gratu-

Gratulor & Frisiæ, cuius condiscere pubi
Ex tanto liceat sacra fidemq́ viro. Hęc ille

In summa, quod ille Regnerus, doctos si[...] institutione & diligentia fecerit discipulo[s] nouerunt nedum Frisij, verum etiam exter[æ] nationes, ingeniosos suos pueros certatim a[d] illum mittentes, eiusque fidei committen-tes. Est quoque hæc Ciuitas anno domini 1568. optimo consilio Philippi Regis Hispa-niarum, contra hæreticorum incursus, h[is] turbulentis temporibus Episcopali sede de-corata, habens Curiam Episcopalem splen-didè foris intusq́ ornatam regalibusq́; man-sionibus extructam, cui præsedit insignis sa-cræ Theologiæ professor & episcopus pri-mus, Reuerendus in Christo pater & domi-nus, D. Iohannes Knyff, quamuis ætate iam grandis nemini in prędicatione verbi diuini dum vixit cedens, vir prudentia, consilio, & pietate vix vlli in hisce nostris seculis secun-dus, & pastor vigilantissimus, quiq́; vndique doctos & ingeniosos accersiuit viros in Ca-nonicos, quos fama notos habebat, ita vt sub eius gubernatione recte dixeris,

Fructiferumq́ Dei verbum crebrescit, & omnis
Relligio feruet, quæ (proh dolor) alget vbiq́.

Habet etiam hæc ciuitas duo speciosissi-ma & amplissima fora in meditullio Ciui-tis sita, vnde amplæ plateæ ad portas vergunt, magnificis ædibus vndique cincta, quæ in v-

niuer-

niuersũ lapideæ sunt, intus tabulatę, & foris miro artificio atq; maiestate decoratæ, & circumcirca Ciuitatem plus minúsue ducentas villas, quarum incolæ & rustici, quidquid ex agro, tum ex pecore, fructus percipiunt, in Ciuitatem ad vendendum tenentur adportare, neque vlli conceditur, nisi exotica frumenta extra Groningensium fines asportare, præcipuè peregrinis mercatoribus, non permittitur à rusticis emere butyrum, caseos, equos, boues, vaccas, aut quidque simile, nisi prius forum Groninganum, tribus continuis diebus frequentauerint, ibiq́; constitutum vectigal, siue tributum pependerint. Et si fortè quis in eo deprehensus fuerit culpabilis, res diuendita Fisco applicatur, aut certa pœna multatur. Multas habet hæc ciuitas nundinas publicas & frequentissimas, & maximas in festo Natiuitatis Mariæ, quas illi *Vrymerckt*, appellant. Quo tempore omnium criminum, fide publica, proponitur impunitas, triumq́ue septimanarum spacio, vnicuiq́ue licet illuc venire, ceu in asylum, nec licet per id tempus alteri de altero vltionem sumere. In quibus peregrini mercatores ex remotissimis locis confluũt, mercaturam exercent, butyrum & præcipue obesos equos, & boues emunt, & in alias longinquas regiones deportant. In summa, rerum quæ tuendæ vitæ hominis necessariæ sunt,

magna ibidem est copia. Habet denique prætorium & œnopolium in medio fori sumptuose in speciem insulæ constructum, extantque in ea ædificia magnifica præter cætera ornatissima. Habet præterea Patricios, & multos nobiles atque diuites familias, insignesque alios ciues locupletes, qui pro magna sui parte viuũt ex censu & redditibus suis, habetque etiam suam propriam monetam, quæ in tota Frisia tam Occidua, quàm Orientali valet. Differt tamen hæc Ciuitas à reliquis Frisiæ Ciuitatibus, legibus ac institutis; nam Frisij Occidui, & Orientales ciuile ius vsurpant, vt cæteræ fere omnes gentes: Groningenses vero soli, municipale & plebiscita, tantum habent, ex quorum decretis, filij ex æquo in paternis bonis succedunt (hoc tamen seruato) quod duæ filiæ, vni filio coæquentur, ita vt dotis magnitudine filiæ, si frater sit, est dimidium patrimonij. Singulis annis ex antiquissimis vrbis familijs patricio sanguine natis, magistratus suffragio creatur, cuius decreto omnia eduntur. Gubernatio vero Reip. communis est plebeis & nobilib⁹, ex quibus eligũtur quatuor Cõsules, qui iustè & accuratè iura populo reddunt, ex scriptis plebiscitis, & ex receptis, & longo vsu temporis comprobatis consuetudinibus, à quorum sententiis nemini est integrum appellare, aut prouocare, nisi ad totum

totum Senatum, à quo non appellatur vlterius, nisi per viam querelæ, ab eodem malè instructo, ad eundem bene informatum. Nam si quis existimet causam suam non satis discussam & examinatam, aut non recte intellectam, atque ob id sibi iniuriam factam, huic æquum esse arbitrantur, suam causam rursum in iudicio proponere, atque diligentius examinare. Alluitur etiam hæc Ciuitas duobus fluuiis siue riuulis ex stagnis & paludibus Drentiæ ortum suum sumentibus, quorum vnus mœnia vrbis media quasi intersecat, cui nomen ad Occidentem Ciuitatis AE: in quē ab oriente sub ipsa Ciuitate, alius riuus *het Schutendeep*, illabitur: & extra Ciuitatem in vnum alueum coniunguntur & feruntur per Frisiam in mare Oceanum, crebis flexibus, subinde curuatis decurrentes, in quo per singulos dies bis refluuit & redundat ad Oceanum, & paruis aggeribus leuiter aqua fluente arcetur ad quæuis necessaria ad Ciuitatem aduehenda & asportanda, fluuius non modo incolis, sed & externis accommodatissimus. Cæterum vltra Ciuitatem versus meridiem non præter miliaria tria peruius nauibus existit, decursus vero eius ex Drentia vsque ad mare fere nouem miliaribus cum eius flexibus, complectitur. Ex orientali parte Ciuitatis, fossa trium miliarium longitudine, sumptuoso opere ad Amasi

portum (vulgo *Delffyel*, ducta est, in ea cataractæ siue aquęductus duo sunt, anno domini, 1574. publicis impensis ad exitum Ciuitatis sumptuose constructi, per quos merces nauiculis impositæ Groningam vehuntur, & ad Frisiam Occiduam exportantur, quam fossam quum nauigare cupiunt nautæ, aperiunt cataractas modico spacio inter se distantes, & per eas descendunt, & rursus cum transierunt, claudunt: atque hoc propter salsas marinas aquas, quæ ex Oceano in fossam defluunt, & terram omnem irrigant, & multiplici gramine fœcundam reddunt. Quum enim leniter aqua fluit, multũ limi secum fert, & quibusdam in locis humilioribus paululum stagnans terram fructiferam fertilemque efficit, atque hoc commodum fossa prædicta Ciuitati Groningensi adfert, quod vna nocte, vel die nauigio ad portum, *Delffzyl*, mercatores & ciues, mercaturæ gratia ire, & inde redire possint. Habet etiam hæc Ciuitas hortos & pomeria valde amœna, ad meridiem Drentiam siligine abundantẽ, ad septentrionem Frisiam, habet itidem sui iuris dominium extra mœnia in circuitu ad vnum fere miliare, vulgari lingua (*het goerecht*) propagatum, in quo omnes Ecclesiæ soluunt Ecclesię Diui Martini, prędictæ quasi Matrici, annuum censum. Præterea & aliam adhuc habet ditionem nuncupatam ***het oldeampt***, in-

rium

qua merum & mixtum Ciuitas habet imperium, & constituuut ibi duos Castellaneos, vnum in Minterna, alterum in Petersborch ex antiquissimis Ciuitatis familiis qui ius dicunt iuxta municipalia iura, nec appellatur vb iis, nisi ad Senatum Groningensem.

CAPVT X.

IN hac florentissima Ciuitate natus est VVessel us Groningensis, philosophus, Monachus ordinis Diui Hieronymi, vir continentissimæ vitæ, doctrinę singularis, ac insignis Theologus per totam Europam sua etiam ætate notissimus, ac scriptis suis longe notior factus, vnde & summus Pontifex ipsum in Italiam vocauerat, sed humanissime se excusans, verbi Dei in sua patria fidelis interpres, sanctè & piè vixit, atque ingenio, sapientia, eruditione facultate dicendi & scribendi, non dubito parem esse veteribus, quique propter facundiæ & doctrinæ laudem à Lodouico rege Franciæ euocatus Parisiis, ad aliquot annos in magno precio habitus, Academiam fere collapsam sua fide, diligentia, eruditione, virtute, & constantia, velut alter Atlas sustinuit, ac conseruauit. Tantam seruandæ sobrietatis curam habuit, vt nunquam ebriosam potationem sibi indulsisse dicatur, ne præcipuum fortitudinis vinculum continentia, luxuriæ viribus elideretur, tandem postliminio reuersus in patriã,

mortuus est Groningæ, & sepultus in æde antedicti veteris Conuentus spiritualium Ancillarum, iuxta summum altare, lumen profecto mundi incomparabile, sui seculi. De hoc VVesselo testatus est eximius ille Regnerus Prædinius moderator scholæ Groningensis in enarratione sua locorum difficilium super Lucam, cap. septimo, in hunc modum: Paulo aliter istud accepit, vir omni virtute & doctrina præstantissimus VVesselus Groningensis, quem ego talem, atque dixi cognoui, non solum ex eius monumentis (quæ apud me diuersa sunt, necdum typis edita) sed etiam ex sermonibus seniorum, qui illum familiariter nouerant, nam mihi per ætatem non contigit, vt viuus viuum viderem, mortuus est siquidem vno & viginti annis, antequam ego nascerer, nimirum octuagesimo nono supra millesimum & quadringentesimum, suæ vero ætatis vnde septuagesimo, præstiterant illi quidem continentia & frugalitas senectutem viridem, & planè firmam, sed confecerunt eum immoderata studia literarum. Et profecto hunc vnum de omnibus, quos huc vsque mea patria tulit. Aliud enim genus mortis Rodolphum Agricolam peremit, neque ita natu grandem: hic enim Heydelbergæ in Germania periit superiore, ille vero Groningæ in patria nobis communi, in qua alter alterum

rum

rum familiariter diu coluerat, quemadmodum iidem illi senes, de quibus supra dixi, mihi commemorare solebant: nam illi omnia vtriusque intimè præsentes viderant. Quin vnus tum adolescens, sæpe ad mensam inseruierat, vbi vterque accubuisset, sæpe laterna prælucens domum vtrumque duxerat, quin calceos Agricolæ, sed madidos sępe detraxerat nam VVesselum nemo vnquam vidit ebrium. Illa porro monumenta, quæ apud me esse dixi, docent inter illos vsum coniunctissimum fuisse. At ego & VVesseli, & Agricolæ vitam alio loco scripsi, & ea quidem fide, vt mihi liceat sanctè iurare, ne minimum profecto à me dictum esse vtriusque ornandi causa, quod pro certo non comperissem. Hæc ille de VVesselo. Rodolphus vero Agricola (inquit ille) natus est in agro Groningano, patre sacerdote & pastore in Baffelt. Rethor ac Philosoph⁹ magni nominis, & in hac Ciuitate Groningana educatus, bonisque literis imbutus, quique inter cætera, de inuentione Dialectices scripsit libros perutiles, sed præmatura morte interceptus, non potuit perficere quod decreuerat, certè decus perpetuum totius Frisiæ, quem singulari laude prosequitur, Erasmus Roterodamus in suo Dialogo de recta latini græcique sermonis pronunciatione, in titulo Ciceroniano, siue de optimo dicendi genere, vbi in-

quit: Rodolphum Agricolam fuiſſe virum diuini pectoris, eruditionis reconditæ, ſtilo minime vulgari, ſolidum neruoſum, elaboratum, compoſitum, ſed qui nonnihil reſipiat & Quintilianum in eloquendo & Iſocratem in orationis ſtructura, vtrobique tamen ſublimior. Quod voluit præſtitit, nec dubium quin Ciceronis figuram potuiſſet effingere, ſi huc vertiſſet animi ſtudium. Et huic tamen ad ſummam laudem obſtitere quædam, ſcilicet regionis, ac temporum infelicitas, quibus vix quidquam honoris habebatur literis politioribus, & nationis parum frugalis vita. In Italia ſummus eſſe poterat, niſi Germaniam prætuliſſet. hæc ille. Vir certe doctiſſimus & ſcriptor illuſtris, poëtaque inſignis, qui optima fide & ſingulari doctrina ornauit Academiam Heidelbergenſem, & tandem ibidem vita defunctus, & ſepultus apud fratres Minores, nó ſine iactura latinarum linguarum, cum eleganti Elogio & inſcriptione pietatis ergo, ab Hermolao Barbaro Veneto patriarcha Aquilegienſi loco Epitaphij decoratus, de quo dubites, vtrum ſit dignus ipsóne, qui ſcripſit, an hoc, quem eo exornauit.

Epitaphium Agricolæ.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam Friſij, ſpemq́; decusq́; ſoli.

Scilicet

Scilicet hoc vno meruit Germania laudis
Quicquid habet latium, Græcia quidquid habet.

Aliud de Rodolpho Agricola.

Frisia me genuit, Rodolphus ego Agricola, at nunc
Heidelberga tenet, meq́, eadem rapuit,
Ossa tenet tellus genitrix, delapsaq́, cœlo,
Pars melior superest, spiritus ethereus.

Aliud eiusdem R. A.

Quisquis adis magni templum venerabile patris,
Ad noua ne pigeat sistere busta pedem.
Frisonicis quondam Rodolphus ego Agricola oris
Natus, Heidelbergæ tristia fata tuli.
Corpus terra tegit, parta est studijs mihi fama,
Non totus perij, spiritus astra colit.

Vixit autem hic Rodolphus, annos 42. Philosophiæ, Theologiæ, cæterarumque liberalium artium non ignarus, in patria primum, mox cultioribus studiis, latinæ grecęque linguæ in Italia summam operam dedit, immatura adhuc ætate vberrimis animi beneficiis, excellebat. Hebrææ etiam linguæ postremo cognitionem habuit, & Musicæ & picturæ quoque apprimè studiosus fuit, omnemq́; fidium modulationem callebat, & in singulis disciplinis, supra quam credibile est, profecit. Obiit tandem Heidelbergæ mente in Deũ porrectissima, sub Frederico Imperatore tertio, & Innocentio Papa octauo, anno Christi nati, 1485. quinto Ca-

ſend. Nouembris, dum ex vrbe Romana patriam repeteret, vir profecto in ſecularibus literis eruditiſſimus. Scripſit quædam ingenij ſui excellentiſſima opuſcula, quibus nomen ſuum immortalitati conſecrauit, & poſteritati reliquit. Hic organum propria manu, miro vocalium concentu, grataque auribus melodia ſuauem, in ædibus ſacris Diui Martini Groningæ conſtruxit, vt profecto nihil amœnius, nihilque voluptuoſius audiri poſſit, in qua tota ferme conſiſtit harmonia, neq; vlla lyra conſonantiorem reddere poſſet ſonum. Extant prætereà eiuſdem viri quidam verſiculi, mira quadam ſuauitate, quatuor vocum modulamine, in formam Rithmicã redacti, quos Agricola ſæpe cantillare ſolebat. Circumferuntur multa à dicto Agricola compoſita cantica, patrio ſermone ad nos reſeruata, quæ paſſim apud multos in Ciuitate Groningana in magno precio habentur, & quatuor vocum modulamine cantillantur.

CAPVT XI.

ET quia Ciuitas Groninga aliquoties tributaria fuit Conuentui VVerdenſi, vti liquet ex antiquiſſima ſcriptura olim Magiſtro VVilhelmo Frederici, paſtori Eccleſiæ Diui Martini ob inſignem antiquitatem tranſmiſſa: ita placuit propter cognitionem

tionem antiquitatis verbalem illam descriptionem hic subiicere, quarum literarum verba, prout posita erant, pro rei nouitatę ad fidem assumá. Antiquitates quædam (inquit ille) loci Groningensis & circa, antequam ad Ciuitatem erigeretur, ex quodam antiquo priscæ scripturæ libro insignis Monasterij VVerdensis, qui conscriptus creditur fuisse circa annum domini, 1166. vt habetur inter cætera prout sequitur.

Villicus domini Abbatis in Groningen, in tertio anno subscriptum dabit seruitium: seruiet enim sex diebus, primo die dabit quinque maldaria panum siliginis, quinque arietes, quorum singuli valent sex vncias, porcellum vnum valentem duas vncias, vaccam vnam valentem decem vncias, plaustrum cereuisiæ, decem caseos, gallinas decem, oua centum, quadrantem butyri, dimidiam pernam, fertonem piperis, lini fasticulum, talentum ceræ, decem modios auenæ, Domino Abbati & Capellanis suis, de piscibus sufficiẽter, de gramine satis, ad eleemosynam quinque solidos. Secunda die tantum, excepta vacca. Tertia die tantum, & vaccam. Quarta die tantum, excepta vacca. Quinta die tantum, & vaccam. Sexta die tantum, excepta vacca. Redemptio hui⁹ seruitij ad placitũ Senioris respiciat. Seruitiũ presbyteri de VVinzhem, quod dabit Abbati in tertio anno 5. malda-

maldaria panũ ſiliginis, maldarium tritici, 5. arietes, duos porcos, vnum porcellum, vaccam vnam, 10. caſeos, 10. gallinas, oua 100. amphorã butyri, 3. amphoras vini, plauſtratum ceruiſiæ, talentum ceræ, fertonem piperis, faſciculũ lini, 10. modios auenæ Groningenſis menſuræ, duo plauſtrata graminis, ligna cum veribus, ad eleemoſynas 5. ſolidos, domino Abbati & ſuis Capellanis de piſcibꝰ ſufficienter. Omnes equos Abbatis noctẽ & diem integrũ debent cuſtodire in pratis. Debet etiã dare pannum bonum annuatim Abbati ad cappam. Iſte Grunevvecht ſimili modo in tertio anno ꝓ ſe domino Abbati ſeruiet excepta cappa, &c. Hæc ſunt, quæ villicꝰ de Groningẽ dabit aduocato & nunciis Abbatis. In feſto ſancti Odgeri, talentum vnum de tribus laribus, duæ iacent ſecus flumen AE, tertia Rodolphi iuxta caminatam, ſex ſolidos, viginti octo vncias ſuper Bedderevvalde, & Stederevvolde. Septem arietes dabunt illi de ſylua. Ipſe villicus vnum, Menke vnum, Tice ventrẽ arietis. Illi de VValde, cum arietibus dabunt ſeptem caſeos, habebunt etiam illos deinde, quæ ſoluuntur de Drentia, cum illis deferentur panni dominorum de Friſiæ. Item hi ſunt redditus curtis in Groninck in Abdinclãde, ſexaginta gramina ſoluentia triginta talenta. In Abdincltrange quatuor gramina ſoluentia duo talenta,

quod

quod dicitur Huerlandt, & quodlibet gramen ſoluens ſedecim vncias, & cenſus ibidem ſex talenta, & tertio anno vaccam. In Herſingẽ triginta quatuor vaccas. In Roderhemmucke ſex gramina ſoluentia ſex talenta. In Dalen viginti quatuor modij ſiliginis, & quatuor modij bracij. In Sleen triginta modij ſilignis & bracij. In Anloe quatuor modij ſiliginis, & quatuor modi Bracij. Item ad ſeruitium Abbatis atque nunciorum eius & aduocati, dum intrant Friſiam ſtatuto tempore in Loon quinque ſolidos Dauētrienſis monetæ. In Dalen tredecim modios ſiliginis, tredecim modios bracij, quinque ſolidosſ, in Arnulo ſex modios ſiliginis, octo bracij, in Glemmene quatuor modios ſiliginis, quatuor modios bracij. Hæc ille. Quæ mihi ſuppeditauit Hieronym⁹ Frederici, filius dicti VVilhelmi, I. V. Doctor, vir antiquitatum ſingularis amator, & vigilantiſſimus indagator. Atque ad fidem literarum propter antiquitatem paululum extra propoſitum, huic loco adpoſui, nunc vero longius digreſſi, reuertamur ad res Friſonicas proſequendas, quum illa nomina iam omnino ſunt obliterata & abolita, prorſusq; incognita.

CAPVT

CAPVT XII.

SExta vero Zelandia eſt ad Orientem Amaſis fluuij ſeſe extendens vſque ad Iadam fluuium, quæ eſt comitatus Oeſtfriſiæ. Et oritur Amaſis ex Haſſiæ montibus, (quos Ptolomæ⁹ appellare videtur Obnobios) qui Padeburnam, & Monaſterienſem mediam fere prouinciam interſecat, & per Friſiam defluens, & diſcernens orientalem & occidentalem Friſiam, fertur in Oceanum. Quę Zelandia ex parte eſt Comitatus, in quo eſt Emeda, Aurica, Norden, Eſens, & Ievverden cum ſuis attinentiis fere ad Viſurgum fluuium, terra lini admodum ferax, habens ſub ſe multas Inſulas, ad Aquilonem in Oceano ſitas, & circumuallatas altis montibus collibusque arenoſis, vtpote Borckum, Iueſt, Norderoghe, Balteringhe, Langeroghe, & Spikeroghe, quæ totæ mari cinguntur, quarum traiectus in Friſiam poteſt fieri, ſecundis ventis ſpatio trium horarum. Et ſi nauis aliqua onerata aliquando præter voluntatē & intentionem rectorū, ad illas Inſulas vento impetuoſo agitante appulerit, aut ad littora neceſsitate cogente illiſerit, naufragiumque fecerit, habitatores earum Inſularum rapiūt quidquid in naui inuenerint, reſpondentq; gubernatoribus, Deus & Fortuna vos ad nos dire-

direxit, idcirco accipimus quod Deus & Fortuna nobis miserunt. In hac Zelādia sunt populi duplices Cauchorum, quorum inferiores possident Prouinciam per circuitū Oceani ab Amaso fluuio, & VVestphalia vsque ad Iadam & Visurgum fluuios. Superiores vero in septima Zelandia extenduntur à VVesera trans Albim vsque ad Eidoram amnem. Habet hæc regio terras ac gentes illustres, videlicet Emesingoniam, Brockmerlandiam, antiquitus apud Tacitum Bructeros nominatos, Moërmelandiam, Federgā siue Reiderlandiā, Ouerlengellandiam, olim Alani Saxones, quæ hodie subiectæ sunt Comitatui Emedensi. Item Esingam, Stesdorpiam, Ieuerdiam, Ostringam & Rosteringam, quæ partes iure hæreditario propriis parent dominis, aliquæ Comitibus Aldeburgensi, & aliæ comiti Retbergensi, atque vocantur vno nomine ab antiquis Cauchi paui, vt dictum est, quamquam & illūm antiquissimū Frisiæ de Aldenberg Comitatum, intra Cauchos paruos antiquitus nominatum Annales referant, teste Alberto Crantzio libro quinto Saxoniæ, capite secundo. Orientalis vero Frisia fluuiis magnis alluitur, nempe Amabo, Iada, Visurgo, & Albi, præterea decorasa est, multis aliis amnibus etiam nauigabilitus, aliisque riuulis diuiditur hæc Zelandia, sed ignobilibus, quia non adeo interfluunt,

neque

neque ad interiora penetrant. Esenses autem Domini, & Ieuerdienses, sub beneficio feudi obtinent terras atque iurisdictiones suas, Duciq; Burgundiæ tamquam Comici Zutphaniæ, homagium pro illis præstant. Hanc vero nobilissimam & ditissimam Zelandiam vel Comitatum Emedensem, Keno iunior Dominus siue Capitaneus in Brockmerlandt, atque sui successores sibi paulatim subiecerunt, quorum primus fuit Vlricus, qui factus fuit Comes à Frederico tertio Imperatore Romanorum, anno domini 1464. & nominatus est Comes Orientalis Frisiæ, seu vulgari nomine, Oestvvreslandt. In hac Zelandia ex antiquata maiorum obseruantia, constitutum fuit inter altas syluarum planities aptum tribunal, vbi per longa terrarum territoria bis in anno conueniebant probatissimi & excellentissimi quique viri, ex septem Zelandiis, præsertim consuetudinum & iudiciorum periti, qui ad hoc delecti erant, & nouerant totius regni consuetudines, & iura municipalia, ac sub dioro tribunali sedentes, in colle quodam paulo eminentiore, ab incolis perpetuo tempore appellato vulgari nomine *Obstalsboō*, prope Auricā, certis anni tēporibus ius cuique, per prouocationem disceptanti, dixerunt, qui ex lōginquis illis Zelandiis quotannis confluebant, examinatisque causis & controuersiis,

iuxta

iuxta consuetudines & iura municipalia, causas, appellatione dirimebant, noua iura condebant, legesque statuebant: vnde adhuc multi antiqui Frisij, ex supradictis Zelandijs gloriantur sua iura municipalia condita & statuta esse in *Obstalsboē*. Qui locus licet retro actis multis annis & seculis, cultore vacuus, horrendam nemorum densitatem induerit, tamen quibusuis eum intuentibus, vltrò ostendit speciem alicuius antiquitatis fuisse. Henricus Imperator tertius, cum semel venisset Bremam, & luculentius quàm pro vrbis facultatibus tractaretur, concessit Ecclesiæ Bremensi Comitatū Oestfrisiæ, qui contiguus Diœcesi Bremensi esse dignoscitur. At Frisij à memoria Diui Caroli magni liberos sese asserentes esse, semper malè paruerunt Episcopo Bremensi, ab antiquis tamen temporibus eum agnouerunt, tametsi ægre, cū effrenis popul⁹ Ecclesiā facile contemnat. Temporibus enim Caroli Magni, pars illa Frisiæ palustris huic subiecta fuit, quæ limitanea est & Diœcesi Bremensis Ecclesiæ subiecta, vt patet ex diplomate ipsius Caroli, Ecclesiæ, & VVillehado præsule, dato. Itaq; verba ipsius hic ad finem apponam: Innotuit, inquit idem laudabilissimus imperator, serenitati nostræ eam parochiam propter Barbarorū infestantium pericula, seu varios euēt⁹, qui in ea solēt cōtingere ad sustētacu-

la siue stipendia Dei seruorũ ibidem militantium minimè sufficere posse. Quamobrẽ quia Deus omnipotens in gente Frisonum sicut Saxonum ostium suum aperuit, partem prǽnominatæ regionis, videlicet Frisiæ, quæ contigua huic Ecclesiæ esse dinoscitur, eidem Bremensi Ecclesiæ suoque prouisori VVillehado Episcopo, eiusq; successoribus perpetualiter delegauimus retinendam. &c. Præterea etiã multa alia sunt, quę iisdem literis continentur nó necessaria. Hæc sunt verba Bullæ, quæ nos ad fidem eius extraximus.

CAPVT. XIII.

BRemenses itaque ad annum Christĩ, 1400. stimulati multis malis, quæ Capitaneus Frisiæ (vti Crantzius lib. vndecimo: capitero. Metropolis meminit) per multa tempora malignatus agebat, & ciuibus & amicis sine discrimine, graue bellum indixere, eidemq́ue multis vndique contractis in eum auxiliis, Comitum de Aldenborg, ministeralium Ecclesiæ vt trecentos equites stipendio alerent, tribus ex vrbe armatis millibus: ducunt in Frisiam, terramq́ue hostilem quam Stalandt dixere, ibiq; diu varia pugnatum est fortuna, cum incastelassent Frisij Ecclesias suas, sed vi armorum coacti sese dedere, partim iuramento firmantes, quod Bremensibus in reliquum, in omnib⁹ parerent, nec alios è suis Capitaneis eligerent, quomodo ha-

do hactenus Didij ductibus & monitis paruissent, sed post multos annos nonnulli ex primoribus, numero quadraginta viri, transiliunt muros nouę arcis, quam diximus fundasse & firmasse Bremenses in ea parte, arcē pacis dixere, & iam intnē oppugnauêre, manentem in ea Bremensis præfectum, quum amplius nihil efficerent, nisi quod arcis præfectum prospicientem è fenestra occiderent. Capti deinde Bremam sunt adducti atq; supplicijs interempti, nec longum tempus in medio, Capitanei terrarum Frisiæ populo collectam indixere grauem, sed ille conspirauit vt non pareret. Quidam ex Capitaneis, quum audiret vicinos esse Cæsaris oratores in occidua Frisia, ad dimouendas earum partium controuersias, adijt illos, sed non sine graui impendio flexit eos, vt interponerent semedios inter populum quinque parochiarum, & eorum Capitaneos: factæ sunt treugę conceptaque forma compositionis, sed inter treugas, quum opportunum eidem Capitaneo videretur, subductus clam à Brema defluente amne Dromonibus armatos imposuit, atque terras inuasit, attamen populus ad arma conclamans fortiter restitit. Comperta in magnatum suorum nimis potenti audacia, populus misit qui Senatum Bremensem imploraret in Capitaneos, pactis conditionibus, vt seruatis pristinis libertatibus terra-

rum, Senatus solueret quotannis singula domus mensuram hordei, cuius tertia maneret apud terræ prouisores, idem in mulctis quæ indicerentur transgressoribus. Quibus ita firmatis, armamenta & bellicum apparatum Bremēses expediunt, Ecclesias à Castellaneis incastellatas magno labore capiunt, Blixem, Berhoue, domus inde suas lateritias, quas firmabāt dedidere, iurantes patriæ salutē tueri, pactaq; seruare, quæ populus pepigisset, atq; tum denique cōtrouersiæ fuit finis. Hæc ille.

CAPVT XIIII.

ADiungam quoq; hoc in loco communes veterum mulierum Oestfrisonicarum vestes, quibus olim amiciebantur: nam hæ singulari veste vtebantur, longè à cæteris vicinarum terrarum mulieribus, & proximis Frisonib⁹ differentes, miroq; modo formatas, prout sequentis imaginis interpretatio à fronte & à dorso intuenti, ostēdit. Nam licet Frisones, assertore Sabellico libro octauo, Ennead. 10. ad occasum Hollandiam, ad orientem Saxoniam, attingunt: sunt tamen Frisones omnino discreti, & lingua, ritu, & in vestibus ab aliis Germanis. Mulierum enim vestes, & ornamenta erant festiuis diebus varia. In conuiuiis & nuptiis vtebantur tunicis laxis, innumerisque plicis plenis, constructis de rubeo panno plerumq;, ditiores vero fæminæ quæ inter popula-

res



res aut nobilitate aut opibus excellebant, de ſerico non diſſoluta, vti ex hac imaginis inſpectione nobilum fœminarum veſtitus apparet: fiſſura earum plerumque in ſiniſtro latere, à quo induebantur & exuebantur, habente in ſuperiori parte foramen, per quod caput efferebant, longa à brachiis vſque ad pedes in circuitu, ab imo vſque ad ſummum



plena plicarum, pulchrè coaptatarum habentes deauratas & quadratas in anteriori parte laminas à collo vsq; ad pedes, illustres fœminæ: plebeię verò ex vtroq; latere habebant manicas planas & tenues, ad manus constrictas, cingebantur cingulo ex corioq́, aut ex bysso argenteis laminis deaurato. Hęc etiam tunica, in aliquibus locis, diuitibus erat

disco-



discolor, insutis stolis nigris, ad tres aut quatuor digitos, à summo ad finem latij. Festiua ante dicta tunica, ornata erat extrinsec⁹ quẽadmodũ mulierum Hebraicarũ, quarum ornamenta describuntur à propheta Esaia cap. 3. qualia sunt, torques argentea, armillæ inauratæ, monilia, mitræ, inaures & vittæ. Erat & illis pectorale admodum simile pateræ argenteæ

genteę deauratę extrinſecus variarũ gemmarum plenũ, quod appendebat cathenę argenteæ. Fibulas etiam habebant argenteas tantæ magnitudinis, vt vnciã vnam duæ pẽderent. Capitis velamen ſiue ornamentum, erat primum faſcia, ex byſſo vel ſubtiliſſimo panno colore rubeo aut viridi, ſuperius ſtrictum aut cuneatum, quód circum caput religabant, ſolummodo maritatæ, ac præter oculos & naſum faciem fere abſcondebant, huic faſciæ inferius erat circulus laneus aut byſſinus, cui annexæ erant paruæ vittæ, quibus appendebant foliolæ argenteæ, aut deauratę, quæ ſemper mouebantur, & à collo pendebant monilia, vt inquit Ouidius 10. Metamorphoſeos:

Dat longa monilia collo,

Sed plures percircuitũ aureas vel argenteas cathenas deauratas gerebant. Item nodos argenteos deauratos magnitudine pomi in humeris geſtabant, & ornabantur ingentis ponderis cingulo inaurato, cui appendebant argenteæ cathenulæ, cum cimbalis argenteis deauratis inter ſeſe tinnientibus, quarum pulſatione ſonus reddebatur. Fœminæ nubiles, aurea & argentea virgula, aurium ima perforabant, & in aures portabant ex auro vel argento deauratas, cui gemma vtplurimum aliqua, erat appenſa filo argenteo, aut ex auro, nam decus exiſtimabatur

anti-

antiquitus aurum in auribus gestare. Postremo omnes fœminæ comam dimittebant, vnam tantum à tergo ab occipite vsq; ad cingulum, cui innectebantur tres aut quatuor ligaturæ constantes ex fistulis, rosulis atque nodis, omnes argenteæ deauratæ, in quorum finibus plures erant massalæ, ex bysso dependentes. Hæ sunt vestes, hæc sunt ornamenta mulierum in Oostfrisia habitantium, qualia adhuc gestauerunt mea ætate, atque in hodiernum diem in vsu obseruantur à nonnullis tum mulieribus, tum virginibus.

CAPVT XV.

DEscripsimus quidem seriò hoc in loco (lector candidissime) vestes & ornamenta mulierum Oestfrisicarum, eò quod nullus in hunc diem de huiusmodi ornatu fecerit mentionem, aut etiam viderit. Cæterum (proh dolor) omnia in tota Frisia vetera ornamenta & vestes adeò sunt exolita, vt vetustatem Frisonicam non amplius agnoscas, & quamuis tunc temporis pro Barbaris habebantur Frisij, tamen Romanos & alios hostes sæpe vicerunt continentia sua, seriò nõ nisi propria affectantes. Sed iam obrepens paulatim humanæ mentis corruptio, aut omnes virtutes, aut maximã earum partem euertit. Ex quo mos ille antiquus, penitus fere abolitus, & licentioris cultus vsurpatio,

 à ritu

à ritu patrio peregrinata est, ita vt ne vestigia quidem antiquę faciei hodie habere videantur. Gens certè in hoc stulta & leuitatis insimulanda, quæ sub vmbra nobilitatis existimat sibi nihil non licere, atq; singulis quinque mensibus fere vtatur aliis atque aliis vestibus: vix Protheus tam varias indueret figuras, quam Frisicæ gentis iuuenes subinde habitum suum mutantes. Alij enim delectātur Gallico pileo, alij Hispanico cucullo, alijsque magis arrident laceratæ, & mille variatæ coloribus vestes, qualem olim scurrarum vestitum fuisse, veteres ostendunt picturæ: & ita Frisia nostra, quam continentiam in se tamquam naturalem antiquitus aluit, iam omnem luxū a finitimis desumpsit: id quod Rodolphus Agricola noster, grauius in quadam oratione deplorat, dicens: Quæ (inquit) peregrina luxuria patriæ nostrę gloriā contaminauit? Et bene patriā gloriam dixit antiquis interfuisse vestibus, ornamentis, moribus & legibus. Certabant de industria & fortitudine mulieres Frisonicæ, & paulo minus ab ipsa ineunte ætate, quam ipsi viri armis assuetæ, quales præcipuè fuisse mulieres illas Cimbricas constat, quæ hostium arma sumpserunt, & contra Romanos bellarunt, deinde vulgo terribilissimum dederunt spectaculum, & seipsas interfecerunt, atque etiam proprios pueros occiderunt, ne in hostium potesta-

poteſtatem venirent, vt Plutarchus in vita Marij, & Valerius Maximus lib. quinto cap. primo, atque Oroſius lib. ſexto ſcribunt. Singulare etiam ſtudium & laus fuit apud mulieres Friſonicas libertatis defendendæ, prout clarius primo libro, cap. octauo dictũ exiſtit. Et ne quis putet hæc figmenta eſſe, quæ de mulieribus Friſonicis ſcripta ſunt, aut à nouo quodam ſcriptore excogitata, ſcribit de iis Procopius lib. primo, quod Friſia, gens valida, liberi omnes. Seneca quoque lib. ſecundo de ira ita ſcribit: Generoſi ira aliquid boni habet, liberaſque videbis gentes, quę ſunt iracundiſſimæ, vt Friſios. Iulius Cæſar quoque lib. primo ita ſcribit: Mulieres Friſonicas flentes oſtentaſſe maritis pueros, maritoſque rogaſſe, ne ſe in ſeruitutẽ redigi paterentur. Meminit quoque Cornelius Tacitus lib. 20. Annalium, Velledæ virginis nationis Bructerę, quæ latè imperitabat, vetere apud Germanos more, pleraſque fœminarum fatidicas & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur deas: tuncque Velledæ authoritas adoleuit, nam proſpiras Germanis res, & excidium legionum prædixerat. Hæc ille. Multa hic occurrerent ſcribenda, ſed omnia non expediunt. Mercaturam etiam & vſuram pauciſſimos Friſonum exercuiſſe, produnt authores, præcipuumque dedecus illis erat pecunię cupiditatib⁹ teneri, & auri ſacram famem

mē sectari, sunt alterius nationis hominib⁹, sed auro caruisse, ac non magis quàm argentū sine vlla animi affectione contēpsisse narrat Tacit⁹, additq; se dubitare, argentum & aurū dij propitij an irati negauerint Frisiis, idq; tā diu continuauit apud eos, donec à Romanis victi ac superati, argentea vasa eorum legatis dono data, non minori contemptu quàm fictilia, tractabant. Refert etiam Iulius Cæsar, eos argentum negligere, ad sedandas contentiones, sed commerciorum vsu, aurum & argentum à Frisiis primo acceptum, & postquam agnita est pecunia, eius desiderium quoque Frisios abduxit, atque formam externarum pecuniarum agnoscunt, pecuniamq́ue probant veterem, diuq́ue notam ac fœnus iam exercere apud eos, nec inconsuetum est. Gaudent insuper & Frisij donis externarum gentium, tam priuatis quàm publilicis, vti equis, phaleris, torquibus, id quod ex gentibus consideratur, quæ ex Frisia eruperunt, & prædæ cupiditate inuaserunt exteras gentes ac nationes, quēadmodum describunt Pausanias, Sabellic⁹, Pollio, Herodiam⁹, & similes, ferocitate & audacia, fortitudineq; Frisios fuisse illustres, historiæ produnt. Mela etiam, lib. tertio cap. tertio: Qui sunt immanes (inquit) nimiris corporibus, & ad insitam ferocitatem vasti, vtraque exercent bellando animos corpora ad consuetudines laborum.

CAPVT

CAPVT XVI.

IN hac nobilissima Zelandia, Metropolis est ciuitas Emeda, siue Hemeda, in terra Emsingorum, in Frisia orientali sita ad septentrionalem plagam Amasi fluuij, vulgato verbo *Die Eeimse*, à quo & ciuitas Emeda denominationē habet & obtinet, portu celebris, & aditu facilis, in quibus naues non facile tempestate iactari, aut vadis afflictari possunt, vt inquit Vergilius:

Statio bene fida carinis.

Est enim Amasus tam magnificus, lætus & securus portus, vt in toto Septentrionali mari, & forsan amplo Oceano parem vix inuenias, qui eidē valeat cōparari, omnes enim vndecumque nauigantes liberè recipit in suum sinum, vt procul spectantibus mare esse videatur, secureque introrsum à tempestatibus (modò sibi ipsi deesse non velint) protegit atque conseruat. Quaque in arctum coit, id minus Italicum miliare continet, quam vnius horæ spatio, nauis bono ac secundo vento agitata percurrit. Est verò Emeda ciuitas in fertilissimo solo, sita: nostro tempore ob commoditatem portus insigne Emporium facta, estque mercatus in ea ciuitate maximus, innumerabilibus mercatorum nauigiis frequens, quum maiores naues plenis velis illuc intra ciuitatis mœnia, deduci possunt,

ſunt, & transferre omnium mercium genus, in quamcumque orbis partem commodiſſimè poſſit. Egregium ſanè in hac ciuitate templum conſpicitur, cum eminentiſſima, & ſumptuoſiſſima ſepultura Comitum ex alabaſtro & marmore artificioſiſſimè conſtructa, cætera verò omnia ornamenta Eccleſiæ Dei opt. max. ac Sanctorum omnium ſimulachra, è medio ſublata, & altaria deſtructa, religioq́ue Catholica contempta iacet, ac in templis pſalmos Dauidis teutonicè omnes in templo præſentes, cantant. Præterea etiam ibidem Monaſterium Franciſcanorum fratrum Minorũ adhuc cernitur, quod religioſis abactis, ædificiis prophanatis, in vſum pauperum pro Xenodochio habetur. Eſt & in eadem Ciuitate adhuc aliud Xenodochium pauperum cum Sacello adiuncto. Ciuitas eſt valde populoſa, atque in ea vtplurimũ ciues mercaturam exercent, atque conueniunt ibidem plurimi exteri mercatores, mercaturæ gratia, ex omni natione, qui omnes ſecurè in ciuitatem venire poſſunt, cum precium ibi⁹, ſicut vbique ſemper in precio eſt. Magna ibi reperitur frumenti ac mercatus copia, ex orientali plaga à mercatoribus naui illata, quibus aliis vicinis regionibus alimenta præbent: ſuntq; etiã ibidem ſingulis annis nundinæ, ad quas vicinæ nationes conueniunt, neque vllus in Ciuitate angulus eſt, qui

non

non frequentissima sit hominum turba repletus. In pauperes sunt munificentissimi, & pręcipuè in eorum ciues, & eiusdem religionis homines largissimi. Arcem habet ex coctili lapide sumptuosissimè à Comite Edzardo nouiter structam.

CAPVT XVII.

SEptima Zelandia est VVorstringia, cum omnibus suis confiniis vltra Iadam, Visurgum, & trans Albim, vsque ad Eidoram fluuium, vtpote antiquissimus Comitatus Tithmarsia, & Comitatus de Aldenburg & de Staden, de quibus plurimæ semper fuerunt controuersię. Præterea Eiderstadia, Hadelaria, Kermingerlandia, Butiagerlandia, & Stengerlandia, cum antiquissimo Stadensi Frisiæ Comitatu. Et hæc Zelandia variis paret dominis & principibus, qui singuli in suo quisque angulo, partem sibi aut belli, aut venditi, siue transactionis iure subiecerunt, cum viribus & opibus potétiores essent, vtpote Dux Saxoniæ siue Louvvenburgensis, Hadelaria, quam non auro, sed sauguine mercatus est: & est Hadelaria Prouincia palustris, in quam Carolus Magnus cum expeditioni militari profectus est, cum illi motus rebellionis à gente renunciaretur. Et monstrant adhuc Incolæ locum, in quo castra fixisse dicitur, Carelsandi vocant, vnde ad iuga do-

ga domitis habitatoribus victorem exercitũ reduxit incolumen. Duci Holſatiæ & Comiti Aldenburgenſi cæteræ parent Zelandiæ, excepto tranſalbiniano Tithmerſiæ Comitatu, qui ſemper liber permanſit, quamuis antiquitus Eccleſiæ Bremenſi ſubiectus fuerit. Quæ omnes Prouinciæ, etſi ſuum ſingulæ habeant Principem, omnes tamẽ iam Imperatorem Dominum recognoſcunt. Tithmarſi verò populus, paluſtribus locis habitans, ſe liberum eſſe aſſerit, & nulli vnquam Principi paruiſſe, niſi quod Bremenſem Eccleſiam breui ac tenui cenſu recognoſcit, cæterum imperata non facit. Multas ac graues tolerauit impugnationes à Rege Danorum Dutmaro, qui circa annum domini, 1424. collecto vndique maximo auxilio, Tithmariam inuaſit, atq; ad iuga coëgit, ſed Tithmariam non ferentes parere Danis, viriliter eis reſtiterunt, atque repulerunt Danos, aliquot milibus ex iis proſtratis. Deinde anno Chriſti, 1474. Chriſtiernus rex Danorum, venit ad Imperatorem Fredericum, indicatque eſſe in ditionib⁹ ſuis intra limites Romani Imperij, gentem nulli parentem, atq; pro libertate inſoleſcentem, eoſque ſibi ab Imperiali Maieſtate ſubiici poſtulauit, rem indignam dicens, populum ſuo arbitrio viuere, non ſubiectum eſſe alicuius Regis Imperio. Annuit Imperator poſtulatis Regis, & vt eos
ſub

ub potestatem redigeret, concessit. Sed
spes eius exitu caruit, prius enim Rex morte
prȩuentus in Tithmarsos expeditionem non
fecit. Tandem Christianus Ioannes, inclitus
Rex Daniæ, cum Adolpho Duce Holsatiæ,
recuperatis vndique viribus Tithmarsiam
cum ingenti exercitu, anno domini 1559. in-
uaduat, armisque suppresserunt, abducta in-
finita præda. Obsides verò 80. secum duxe-
runt, omnia latrociniis sunt exhausta, & in
seruitutem redacta, terramque eam tributa-
riam fecerunt, atque fidelitatis iuramento
astrinxerunt. De his Saxo Grammatic⁹ in sua
præfatione in hunc scribit modum: Frisia
minor (inquit) adiacet Daniæ, quæ à Iuthiæ
prominentia, subsidentium camporum, ac
gremij deuexioris inclinata recessu, maxi-
mos frugū prouent⁹, beneficio Oceani inun-
dantis assequitur, cuius refluxionis vis, plus
vtilitatis an periculi incolis afferat, ambiguū
extat: siquidē tempestatis magnitudine, per-
ruptis æstuariis, quibus apud eos maritimi
fluctus intercipi solent, tanta aruis vndarū
incedere consueuit vastitas, vt interdum nō
solum agrorum cultum, verumetiam homi-
nes cum penatibus obruant. Hæc ille. Et om-
nes isti inhabitantes per communem hanc
descriptionem, hodie appellantur Frisones,
licet cum distinctione: nam ab Oriente inci-

piendo ab Albi fluuio vulgari idiomate, *Strantvreesen* & *VVorstvvreesen* nominantur, atque postea ad Occidentem declinando, vltra Iadã fluuium habitantes *Butientervriesen*. Et hi omnes à Ptolomæo Cauchi magni appellantur, & nulli antiquitus paruerunt domino.

CAPVT XVIII.

KAnutus Rex Daniæ Frisiam minorem (inquit Saxo Grammaticus lib. 14.) quæ est & ipsa Danicarum partium cum paucis exilij comitibus petit. Diues agri prouincia est, pecoribus plena ac opulenta: cæterum confinis Oceano patet humilis, ita vt eius interdum æstibus eleuetur, qui, ne irrumpant, vallo omne littus præcingitur, quod si fortè perfregerint, inuadunt campos, vicos, & sata demergunt. Neque illic locus natura alius alio editior existit, plerumq; agros ab imo conuulsos alio loci traiiciunt, locum eorum occupante lacuna, in quorum consederint prædiis possidendos, sed talem inundationem sequitur fertilitas magna: nam gramine tellus exuperat, torrefacta in salem gleba decoquitur, hyeme continuo gelatur æstu, stagni speciem præbentibus campis, vnde & in qua rerum parte locanda fuerit, pene natura ambiguum fecit, cum alia anni parte nauigationis patiens, alia aratri

capax

capax existat. Incolæ eius prouinciæ natura feroces sunt, corporibus agiles, anxiam & grauem armaturam contemnunt, ancilibus vtuntur, & missilibus dimicant, agros scrobibus cingunt, saltus contulis edunt, penates in editum subiecto glebarum aceruo prouehunt. Hos à Frisonum gente conditos, nominis & linguæ societas testimonio est, quibus nouas sedes quærentibus, ea sorte tellus obuenit, quam palustrē primum ac humidā lōgo durauere cultu. Administratio prouinciæ, sub nostris Regibus esse cœpit, à qua Kanut⁹ quū forte præsidiū implorasset, prōpto omnium fauore suscipitur, pollicitus se eis aliquid de consuetæ pensionis onere laxaturum. Auidi promissionis Frisij, intuitu exilis præmij, immani se negotio onerant, ac primum mœnia propter Mildam fluuium, quis eum recipiant, condunt, tantulo stipendio ingens militia stetit. Sueno verò reditus eius opinione accepta lutis in equitatum digestis à Zelandiis & Scanis classem adsciſſit, ex qua nonnullas naues Slesuici subductas ad Eydoram fluuium, vsque solotenus pertrahendas curauit, ne ea pars elapsui hostibus foret. Quæ res ei impendio magis, quàm vsui fuit, inde cum copiis ad recens oppidum pergit. Id inter paludes amnemque situm, natura quàm opere munitus erat. A latere ei Milda fluuius fuit angustis alueis, sed placidè ma-

nãtib⁹ aquis. Quod quia Rex ob angustias exercitu circumire non poterat, locis ex copia idoneis castra desigit, deinde cæsis virgultis, quæ nemus proximum offerebat, ad peragrandas paludes, castramenta fieri iubet, quibus (quum opportunum foret) velut pontibus vterentur. Interea quidam ex Frisica iuuentute, siue moræ impatientes, siue vegetioribus animis, virtutis iactandæ cupidi, prouocandi gratia riuum, qui inter castra medius erat, consueta arte transiliunt, vagumq; eminus hostem incessant. Sed neque lacessentibus obuij defuerunt, nam complures ex vtroque agmine, huic se certamini ingerunt, suorum cuique pericula propulsuri, neutris communis fortunæ negotium patienter inspectare, valentibus. Itaque paulatim crescente pugna, adeo omnium huc animi confluxerunt, vt ex eo belli præsulti victoriæ summa pendere, videretur. Quo viso filius Thorsani Petrus omnium Regis arcanorum particeps, non ignarus Frisicæ temeritatis, confestim armari exercitũ, prestolariq; castris paratũ iubet. Huius rei inscij, Frisij tota amnẽ manu repente transuolant, rati sine paratu Regem in castris esse. Itaque audacius quàm prudentius, omnis eorum irrupuit exercitus, inopinatum hostem opprimere auidus. Sed Suenonianis non segnius occursitantibus, ad sibi notas refugere paludes

des, quas mox equites, factorum à se pontium stramentis vsu facile superant, translatique fugam acerrimè prosequuntur. Aliud quoque ferro sibi compendium struunt; nam tanta in fugientes strages excitata est, vt constratis cadaueribus amnis, mox à victoribus cum paucis exilij sociis, eques elabitur, reliquis fugæ expertibus, oppidum receptui fuit. Cui Sueno Kanutum adesse ratus, obsessos quàm poterat infensus aggreditur, sperans conditione eius, totius belli finem futurum, saucios integris mutat, fessis requietos succedere iubet, diurno prælio nocturnum sociat, omnique iactantia curat, ne lassis quies remedio fiat, addebatq; obsessis animum, recens captiuorū occisio, nec cuique toties à victore læso venia sperabatur. Contra Rex si pugnam remitteret, neq; mox oppido potiretur, Frisios obsessos auxilio futuros timebat, ideoque perseuerantiori prȩlio opus ducebat. Sic metus vtrinq; pugnandi occasionem fecerat, nec interdiu dimicasse contenti noctem quoq; bello contribuerunt. Tunc verò anceps prælium erat, cum VValdemarus, clamore cominus orto, Frisios instare ratus in partem qua strepitus exaudiedatur, cum signis accurrit, sociosque perquàm strenuè repugnantes, errore noctis elusos oppressit. Ita fortissimi animi Dux, temporis habitu circumuentus, quibus o-

pem ferre decreuerat, cladem atq; exitium irrogauit. Oppidani verò assiduis plagis, & continua lassitudine exhausti, nullumque pugnæ supplementum habentes, cum nec vires, nec vulnera vllo momenti spacio recreare quiuissent, desperatis rebus dedere se Regi, quum fidem atque clementiam vltra ac rati fuerant, experti sunt. Hæc de diuisione terræ Frisiæ paulo prolixius dixisse sufficiat, nunc verò cætera exequi pergam.

CAPVT XIX.

SVnt etiam, qui Frisiam in tres partes diuidunt & discernunt, nempe in orientalem, Groningensem mediam, & Occidentalē, quæ singulæ Zelandiæ vna, ab altera tenui diuiditur freto. Et media Groningēsis incipit ab Amaso (vti Plinius dicit) fluuio, vsq; ad Lauram, illustribus ditionibus secundum nomenclaturas subsequētes, Marna, Hunsinga, Fimelinga, Langevvolda, Fredevvolda, Medagora, Hūmersina, Duersvvolda, Oldtampta, & VVedda cum VVestervvolda atq; Phedarga, seu Reidēsi terra (vti superius dictum) decorata. Qui populi Diuo Ludgero amicissimi facti, ex diuitiis suis & offertoriis (vt vocant) Ecclesiam Monasteriensem construxerunt primum. Hæ inquam ditiones Groningenses Frisiæ, adhuc in hodiernū diem temporalem, supremamque iurisdi-

ctionem habent, & ſingulæ ſuas leges, vſus, ac conſuetudines, ſuaq; municipalia ſatis compendioſo volumine per libros, titulos, & capita exquiſitiſſima ratione, ſummaque rerũ & iuſtiſſimorum hominum æquitate diligẽter condita, & diſtincta, ſuoſque iudices vulgato nomine Redgeros, ſiue Grietmannos, qui ſibi conſiſtentes omnium controuerſiarum primæ inſtantiæ definitores ſunt, & ſolius iuſtitiæ reſpectu habito, ius populis dicunt, non vt leges ſentiunt, quas non nouerunt, ſed prout municipale ius eis dictat, atque iudiciorum conſuetudo habet. Et ſi quod eſt admiſſum facin', ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt, nec magnatum, nec diuitum captantés gratiam, quod æquum eſt, omnibus ſecundum iura ſua municipalia reddunt, ſciẽtes etiam, quod Deus occulta inſpiciat. Omnibus tamen gratum & vtile, imò neceſſariũ videtur, interpretationem difficiliarum ſuarum legũ ſumere à iure ſcripto, & reſcriptis principum Romanorum. A quorum iudicũ ſententiis appellatur ad præfectum Regium, ſiue eius locum tenentem, & Capitaneos quatuor, quem patrio idiomate *Lutenant* & *Hoeffmannen* vocant, & hi controuerſias omnes ex vniuerſa gente eò delatas, ſuo componunt decreto. Et is locum tenens ſolus à Rege conſtituitur, & non temerè, niſi grauiſſi-

mas ob causas officio suo mouetur, sed quoad viuit, perpetuo manet. Capitanei verò siue vulgari lingua Hoffmanni, alternis annis à Senatu Groningano constituuntur, & suffragio creantur ex eodem Senatu, viri prudentes ac synceri patricio sanguine nati, qui neq fauorem, neque gratiam aut præmium captant, sed solummodo quòd iustum est, iudicant, & nihil aliud, ob quascumque causas accipiunt, sed gratis & sine vllo remunerationis præmio lites terminant, duratque officiũ eorum toto biennio, vt & alij Magistratus hoc potiri queant. Omnes ruricolæ ex tota prouincia à ciuibus in causis debiti coram Hoffmannis ad iudicium vocantur, quoties vel de minima re à quopiã impetuntur. Dictique Capitanei siue Hoffmanni omnium fere controuersiarum, siue mulctis & omnium prouocationũ perpetui sunt definitores & se constituũt iudices tam de publicis quàm priuatis causis, neque parent vlteriori prouocationi: & hi sua stipendia ex fisco Regio siue mulctis percipiũt. Quod si grauiores cõtrouersiæ, arduæ perplexæq; ad eos deferantur, prius ad arbitrium optimorum virorũ, qui in eo territorio inueniuntur, rectè decerni volunt, & remittunt, vt potius suffragiis quàm legibus terminentur, priusquã ad aliquod iudicium deueniatur, & si tum ipsi in causa nihil decernere queant, cum consi-

lio

lio locumtenentis, de horum negotiis maiori diligentia decernunt, & qui iudicatur reus vel condemnatur, cogitur pro mulcta temerè litigantis quinque marcas fiſco pendere, prouocationis beneficio condemnatis denegato. Et hæc terra multum ab aliis differt legibus & inſtitutis, quum Friſij tam Occidentales quàm Orientales vſurpant ius Ciuile, hi autem, vt dictum eſt, ius municipale tantum. Itaq; Iuriſperitorum & foro litigantium null9 eſt ibi numerus, quoniam ea nullis cauſidicorum cauillationib9 interpretari atque peruertere poſſunt, nec litigantium querulorum libellos in vſu habent, ſed ore præſentes peragunt, idq́ue fit, ne lites auaritia iudicum, & patronorum in longum pertrahantur.

Qui videt has igitur leges, & publica iura,
Se putat antiquum nempe videre forum.

In hac terra magnus & inſignis nobilium hominum numerus eſt, qui & ſuas peculiares habent iuriſdictiones, equeſtris ordinis viri, qui quotannis, quaternis vicibus ex vetuſta conſuetudine, Groningam conuenire, & de cauſis poſſeſſionum agrorum inter partes decernere ſolent. Sed ille mos iam totus abolitus, vixq́ue ſemel in anno controuerſias dirimunt. Cuius regionis mentionem ſæpe facit Cornelius Tacitus, & claruerunt ante Christum natum, ac fortiſſima bella geſſe-

runt cum Iulio Cæſare, primo Imperatore, quemadmodum etiam Raphaël Volaterranus cōment.lib.7.cap.20 ſcribit,à quo tamē bello victi ſint,ac vult quoſdā ex iis ad Heluetiam proceſſiſſe, atque Heluetios modernos eſſe ex Friſiis prognatos. Id quod adhuc mores eorum demonſtrant, nam pro libertate vt & Friſones, occumbere parati ſunt, vti ſuperius lib.1.annotauimus.

CAPVT XX.

HAE omnes Zelandiæ,olim coniunctæ in regnum fuerunt ſublimatæ, & ob ſui amplitudinem titulo Regio decoratæ,vnoq́ue nomine appellatæ Friſia. In quibus ſingulis prædictis Zelandiis Friſo primus conditor huius regionis, ac gentis, vnum de ſuis collocauit filiis. Et his ſeptem Zelandiis ſic occupatis, ipſe Friſo cum filia ſua VVimeth perrexit in VVimſerlandt, quam terram nomine filiæ ſuæ ſic vocauit. Ex qua VVimeth progeniti ſunt, Hadelricus in Hadelingerlandt Tithmarus in Tithmarſche, & Radelinus in Redingerlandt, dilatantes ſuos terminos,pulſisq́ue habitatoribus terræ,occupauerunt terram vſque Staden & Hannouer. Quamuis Beroſus aſſerit de Germanis,Thitmarſos à Marſo filio Tuiſconis deſcendiſſe, qui habitant iuxta oſtia Albis fluuij. Habueruntq́ue Friſij à multo tempo-

tempore proprios ſuos Reges, qui reſidebant aliquando in Medenblick, aliquando etiam in VViltenborch, aliquando in Gronenborch, & nonnumquam in Phoſtelandt, de quib⁹ inuenimns apud Sabellicum, duos nominatos, lib. 7. Enneados 8. Radbodum ſiue vt alij dicunt, Rathodum, quem bello vicit Carolus Martellus. Alterum verò dictum Gundebaldum, qui fuit Carolo Magno amiciſſimus, ipſumque in Hiſpanica expeditione cum ſuis Friſonibus armis inſtructus, ſacra militia ſequutus, cum Rolando pro fide Chriſtiana in monte Ronceuallo, anno 770. occubuit, teſte Sabellico Enneados 8. lib. 8. Habueruntque & alios Reges multos ante Chriſtum natum, atq; aliquamdiu poſt eius natiuitatem, vſque ad tempora Caroli Magni, ſub quo vixit Radbodus eius nominis ſecundus Gondobaldi frater, vltimus Friſiorum Rex, cæteri non ita magni fuerunt nominis, quorum nomina & genealogiam ex Annalibus Hollandiæ infra apponere operæprecium eſſe duxi. Quamuis & alij diuerſis temporibus quamplurimi Principes, & primarij viri fuerunt in Friſia, quorum nomina penuria ſcriptorum in obſcuro manſere. Inuenitur tamen temporibns Commodi Imperatoris quendam Cleandrum Friſonem, magni nominis & æſtimationis apud Imperatorem fuiſſe, qui tandem anno Chri-

ſti

ſti 194. conſpiratione in ipſius Commodi necẽ facta, imperium affectans, cruenta manu funeſtam mentis libidinem ſatiauit. Item apud Tacitum lib. 11. Annalium de Gameaſco Duce Cauchorum dum Germaniam inferiorem cum ſuis Friſonibus incurſaret. Itẽ lib. 13. quod Malorix & Veritus Friſiorum principes fuere. Inueni quoque de quodam Cimoſco Rege Friſonum apud quendam Italum Franciſcum Orioſtum huiuſmodi hiſtoriam: Cum (inquit auctor dictus) Cimoſcus Rex Friſiæ ictu ſclopi tranſuerberaſſet Comitem Hollandiæ cum duobus filiis ſuis, relicta vnica filia Olimpia nimium ſpecioſa hærede, hanc in vxorem filio ſuo Arbando dari, crebrè legationis officio petiuit Rex, quæ quoq; communi conſilio Procerum Arbando deſponſata, & dotis iure Hollandia aſſignata, clam cum nobili Biremo Zelandiæ Regulo cõtracto matrimonio, conſortium Arbandi (à quo eius parens & fratres inaudito ſathanico inuento, ſcilicet bomdarda atroci eſſent perempti) renuit. Arbandus verò quum amore virginis deperiret, datis pro Regia magnitudine & munificentia muneribus, ipſam exquiſitis verborum illecebris aggreſſus, de nuptiis interpellat, ac cum ille nullum votis aſſenſum ab impetrare & extorquere poſſet, varias hinc de excuſationes pretẽdente, ne in eius amplexum

plexum consentiret Arbandus flagrantiori amore incensus, omnem industriam ad hoc vertit, quò ipsam per vim, volentem, nolentemq́; raperet, atq; suo coniugio sociaret. Apparatis itaque pro Regia fortuna omnibus necessariis, cum prima nocte genialem thorum conscendisset, atq; nouæ sponsæ concupito amplexu potiri speraret, ab ipsa in thalamo iugulatur Arbandus. Quo facinore facto, Olimpia assumptis confestim duobus tantæ rei amicis consciis, ad omnem fortunę euentum eò aufugiendum paratis, relicta Hollandia clam noctu conscensa cymba, per occultos nauigationis anfractus, lunæ lucentis beneficio, se ad Flandriam conuertit. Quo facto Cimoscus Rex iusta indignatione permotus, in vindictam necis filij, hostilia Comiti Zelandiæ indicit, atque instructa classe Zelandiam petit, atque Biremum in prælio deuictum, captiuum Dordracum perduxit. Olimpia verò magno discrimine ad Rolandum Flandriæ Comitem declinans, opem atq; auxilium ab illo implorabat, patris mortem totamq́; rei seriem ei exponens, atque vt tutelam sui susciperet, rogat. Rolandus ad res præclaras natus, puellam in suam protectionem suscipit, atque iussit optima quæq; sperare, neque ad quemuis aduersæ fortunæ impetum animum despondere, magno atq; imperterrito animo Dordracum adiit, atq;
Cimo

Cimoſcum in duellum prouocat, conditione propoſita, vt ſi victor exiſtat, Biremum liberè è cuſtodia dimitteret Rex: ſi autem ipſe victus fuerit, Olimpia Regi traderetur. Accepta eſt à Rege conditio, atque cum vterq; ornatus in campum prodiret, circumſtante vndique ſatellitum ac procerum corona, Rex eminus ſclopeto interfici poſſe Rolandum, ſperans; bombardam emiſit in ipſum, quam cum exigua corporis declinatione vitaſſet, antequam ille bombardam denuo oneraret, aſſiluit Rolandus, & Chimoſcum gladio impetiit, vnoque ictu caput eius diffidit, atque in terram arietauit, acceptaq; bombarda nunquam antea viſa, ne in perniciem aliorum bonorum amplius vſui eſſe poſſit, in mare proiecit. Hæc ſupradictus author in forma verborum, à me autem ideo adiecta ſunt, vt ex eo demonſtrem artem illam bombardarum, non Moguntiæ primo ſupra centum annos, vt quidam aſſerunt, ſed à Rege prędicto Friſonum, à priſcis temporibus adinuentã. Teſtatur etiam hoc Munſter⁹, bõbardas anno Chriſti 1354. apud mare. Danicum in vſu fuiſſe, primumq; inuẽtorum & authorem fuiſſe quædam Chimoſcum, quẽ corrupto vocabulo ſupradictus author Chimoſcum vocat. Multi adhuc alij inueniuntur Reges Friſiæ, ſed ordine iis immorari, haud ſane operę pretiũ videtur, ne prolixior ſermo lectori faſtidi paruiat, itaq; ad cærera pergiã.

GENEALOGIA REGVM FRISIAE IN SVCCINCTAM SERIEM redacta ab Engisto, qui Angliam primo cum suis Frisonibus adiit, accessuq; apud Regem impetrato, Frisonibus aperuit ingressum, sed postea pulsus & fugatus ex Anglia ad Frisiam rediit, ac Leidam ciuitatem primo construxit.

CAPVT XXI.

ENgistus siue Hengistus, & Horsa fratres, in subsidium Vertigeri Regis Britanniæ vocati, contra Scotos & Pictos, cum suis Frisonibus, qui & inferiores Saxones appellabantur, Britanniam anno Domini 385. vel vt alij volunt, 449. ingressi, Scotos atque Pictos prælio oppresserunt, sed postea ambitione ducti, in Britanniam dominari cœperunt, nam Regnum eorum affectabant, & primores eorum maiori ex parte vario genere mortis interfeceruut. Ex quo Engistus agros opesque insulanorum cum suis participans, vt linguæ pariter & gentis memoria in deuicta insula sempiterna foret, noluit quod deinceps Regnum illud Britannia, sed à se vulgari voce *Fngelslandt* corrupto vocabulo *Engelandt* vocaretur. Constructoque castello ad orientem Rheni ripam, præsidium in eo constituit, Dibaldum Borchgrauium, vt viatoribus

toribus passagium liberum præberet, & tutum negotiatoribus accessum & recessum præstaret, vnde postea & ciuitas sumpsit nomenclaturam, vulgari idiomate *Leiden*, ex quo Dibbaldo genitus fuit Lemus. Engisto secundum Bedam successit Orich filius eius, cognomento Hoeisch. Orich reliquit post se filium Minricum. Minrico successit Edelbrecht. Hi tres Reges in Anglia potiti imperio, ibidem contra Anglos pugnantes occubuerunt. Lemus autem filius Dibbaldi, condidit Harlemiæ Castellum, & successu temporis plurimis ornatis ædificiis, in ciuitatem succreuit, vnde ex composito vocabulo *Heer & Lem*, nomenclaturam primo sumpsisse Annales Hollandię volũt. Ex quo Lemo, nobiles de VVassener successionis serie pullulasse Annales produnt, qui in hodiernum diem, vectigalia de teloneo ad ripam Rheni in Leidis subleuant, genuitque Lemus Aurundulium filium. Aurundulius auribus asininis (vti fertur) natus, reliquit post se Falconem, qui primo construxit palatium egregij operis super flumen VValim nuncupatũ Falkenhoff, & Falkenburch prope Leidam. Falconi successit, vt nonnullis placet, Beroaldus. Beroaldus rex Frisiæ anno Christi 589. prælio à Lothario Rege Franciæ, superat⁹, & in ipsa pugna cæsus, fortiter pro libertate Frisiæ occubuit. Ex quo tempore Reges Frisiæ homagium

præsti-

præstiterunt Regibus Franciæ, sed exigua pendebant vectigalia. Reliquit hic Beroaldus successorem Aldigildum puerum, quare consensu & suffragio procerum eligitur ad tutelam regni Theodoricus vir fortis ac strenuus, cuius moderationi pro suo arbitrio Frisia administranda committitur, donec Aldigildus ad plenã suę adolescentię ętatem perueniret, quo tempore ita se vigilem & industrium præstitit, vt ab omnibus & prædicaretur, & etiam ameretur. Qui tamen hic non censetur in numero Regum Frisicorum, eò quòd Regium nomen non assumsit, neque diu præfuit tutelæ. Aldigildo autem in Regnum sublimato, eoque mortuo, anno Christi 672. succesit ei Radbodus filius, eius nominis primus. Hic Radbodus Rex multa prælia cum Danis & Ducibus Brabantiæ gessit, ac tandem plenus dierum anno salutis 723. vita decessit, vt quidam tradunt, nam alij à Carolo Martello occisum, alij à diabolo suffocatum asserunt, vt infra dicetur lib. 3. cap. 8. 10. 11. Hic reliquit post se duos filios, Melgerum & Aldegildum, qui relicta idolorum cultura, in fide Christi baptismate renati, patri in Regno succedunt. Melgerus verò non diu post morbo contracto finem viuendi fecit. Aldegildus primus Rex Frisiæ Christianus, succesit patri in regno sub homagio & tributo moderato Caroli

Martelli, duosque procreauit filios Gundebaldum & Radbodum. Gundebaldus vltimus Rex huius stirpis sub Carolo Magno in Hispaniis militans, occubuit cum Rolando pro fide Christi in mõte Rõceuallo, anno salutis 770. nullo post se relicto legitimo filio, fuitq; eidem Carolo amicissimus. Etsi autem Radbodus Fratri Gundobaldo in Regnum reuera successerit, & à Carolo magno victus, & Regno exutus fuerit, vt infra apparebit lib. 3. cap. 13. Vulgares tamen Hollandiæ annales habent, quod Regni habenas relinquens acceperit Comitatum de Egmunda pro sua hæreditate, fixeritq; sedem in eo, nec vnquam tantæ fuerit potentiæ, vt regnum sibi vendicaret. Ex quo & magnæ nobilitatis propago disseminata sit: Nobiles scilicet Comites de Egmunda, qui vsq; nunc nati sunt, originem se duxisse magni æstimant. Fœminas autem, quæ in alienas translatę sunt familias, hic ex industria omisimus, quum ad successionem genealogiæ nihil faciant, atque seriem præsentem super modum obscurent. Et quia venerabilis Beda lib. 1. historiæ Anglorum ait, Engistum fuisse regem Frisiæ, & in Chronica Leidensi plenius legitur de eodem Engisto, quæ Beda in superioribus obscurius posuit, non pigebit illa, quæ ibi habẽtur de hac materia, pro oblectatione legentium hic inserere.

CAPVT

CAPVT XXII.

ANno domini 449. (inquit ille) venerunt ex Frisia in exilium pulsæ, tres longæ naues, (Annales autem Frisiorum dicunt hæc accidisse anno ab incarnatione Christi 385.) in quibus erant Hengistus & Horsa frater eius, quos rex Vortigerr⁹ suscepit benignè, & tradidit eis insulam, quæ vocatur Thanet inhabitandam, ea lege, vt sibi fideles essent contra hostes, proq; patriæ pace & salute militarent, & illis militantibus debita Britones stipendia ferrent. Hengistus verò quum esset astutus, fecit se regi familiarem, considerans ipsum imbecillé, minusq; prudentem, Scotosque atque Pictos continuo Britanniam impugnare, persuasit Regi, vt mitteret eum in Frisiam patriam suam, vt inde adduceret milites stipendiarios bellicosos, ibidem abundanter existentes, quibus regnum suum tutaretur. Rege ergo annuente, Hengistus Frisiam petiit delectuque Frisonum habito, prima quidem classe vndecim nauium cum vxore sua & Ocho filio, & filia aliisque amicis suis quamplurimis Britanniam repetit, atque innito cum hostibus certamine, victoriam sumpsere Frisones. Quod cum in Frisia nunciatum esset, mittitur confestim illi maior classis armatorum, nempe quadraginta nauium, ferens manum

fortiorem, quæ adiuncta cohorti præmissæ insuperabilem fecit exercitum, & deinde Regi conuiuium præparauit. Rex autem visa ipsius Hengisti filia eam adamauit, & in coniugem sibi petiit, & accepit. Nuptiis itaque celebratis, idem Rex Frisonibus prædictis regionem aquilonarem Britanniæ dedit vt inhabitarent, qui exinde contra Scotos & Pictos nauigantes, vastauerunt etiam & Orcades Insulas, occupantesque plurimas regiones, ditati sunt, & multiplicati vehementer nimis, ita vt ipsis quoque indigenis terrori esse cœperint. Quod cernens Vortuner⁹ primogenit⁹ Vortigerri Regis ex prima vxore, indignè tulit, & contra Hengistum & fratrē eius bella mouit, in quibus & fratrem Engisti cum plerisque aliis occidit. In secundo vero bello frater ipsius Vortuneri interemptus est. In tertio vero bello, ipse Vortunerus victoria potitus, Frisones omnes ex regione aquilonari, eis à patre suo concessa, fugauit, multosq; occidit, atque è nauibus eiectos submersit, cæterosque in Thanet conclusos obsedit. Sed non diu post ipse Vortunerus obiit, post cuius mortem Hengistus cum magna turba Frisonum iterum illuc adnenit, & spe improba totius Angliæ regnum complexit, cœpit machinari, quomodo Regem generum suum caperet, atque cæteros Britanniæ principes occideret. Misit ergo legatum

gatũ ad Regum ſub prætextu pacis conſtituendæ, quod Regi credulo optimè placuit. Die igitur conſtituta & aſſignata pro pace inter eos firmanda, ipſe Rex & omnes principes eius conuenerunt, vbi etiam & Hengiſtus cum ſuis Friſonibus per obſequij ſimulationem adueniens, eoſdem ſecreto præmonuit, vt dum ſua lingua diceret: *Nimmet oure Saxen* (quod ſanè Friſonicum eſt) omnes ſimul cum armis accurrerent, Britannoſque inuaderent, & ex improuiſo trucidarent. Quod ita perfecerunt, nam Hengiſtus potentia ſuorum vallatus, quum ad ſecura loca perueniſſent, & periculis expeditos putarent, trecentos ibi Britanniæ Principes perierunt, & Regem Vortigerrum, contra promiſſam fidem, & iuſiurandi relegionem, captiuarunt, & compedibus ferreis conſtrictum abduxerunt, qui tandem pro redemptione vitæ ſuæ, & vt ab illa dura & diuturna captiuitate ſe relaxaret, reſignatis in manibus Engiſti vrbibus & arcibus, libertatem recuperauit, & ſic Engiſtus in Anglia cœpit dominari. Tunc Angli iterum à Chriſtiana fide receſſerunt, eò quòd Engiſtus cum ſuis paganus erat. In illa igitur ciuitate, quam Vortigerrus ſibi retinuerat, manens, ipſe Rex cum ſuis vxoribus & filia Hengiſti, cæleſti igne conſumptus eſt, eò quòd cum propria filia concumbens, filios ex ea genuerat, nec ad

prædicationem S. Germani Episcopi ipsum de incestuoso concubitu corripientis, sese emendauerat. Non multo post etiam Hengistus mortuus est, post cuius mortem, Ocha filius eius recessit ex ea parte Britanniæ ad regnum Cauchorum, nempe Frisonum, & de ipso Reges Frisiæ orti sunt, vt quibusdam placet. Et sic Anglia dominandi ius ignauia perditũ, virtute recuperauit. Britanni enim videntes ferocitatem & tyrannidem Frisonum, inito consilio direxerunt Londinensem Archiepiscopum ad Abdioenum Regẽ minoris Britanniæ, vt eis succurreret. Ille itaque delectu habito, in subsidium Britannorum misit Constantinũ fratrem suum, cum armata militum manu, vbi Constantius erectus est in regem decem annis. Hic tres habuit filios, scilicet Constantem, qui Monachus factus est, Aurelium Ambrosium, & Vterpendragontum. Aurelius ergo Ambrosius post mortem patris regnauit, & colligens copias cum aliis Britonum principibus, Frisones debellauit, & tandem duodecim præliis superans eos, pro maiori parte ex Anglia fugauit, non tamen penitus extirpare potuerunt: nã (vt refert Beda in libro sæpe citato de gestis Anglorum) tempore Mauritij Imperatoris, qui cœpit anno domini 782. regnare, decimo quarto anno Regni eius, Gregorius Papa misit Augustinum prædicare verbum

verbum Dei genti Anglorum, anno ab aduẽtu eorum in Britanniam circiter centesimo quinquagesimo, teste Beda lib. 1. capite. 20. regnante tunc in Cantium Edelberto Rege potentissimo, qui fere cum omni gente sua fidem Christianam deuotè suscepit. Erat autem ille Edelbrecht (teste Beda lib. 2. historiæ Anglorum cap. 5. filius Minrici, cuius pater Orich, cognomento *Hoeisch*, quod Frisonico idiomate propriè sonat mitis, & lenis, cuius pater Hengistus, qui cum filio suo Orich Britanniam primus intrauit, de cuius stirpe permultarum prouinciarum genus regium originem duxit. Ex his Bedæ verbis constat Frisones numquam penitus ex Britannia (quæ nunc Anglia est) fuisse extirpatos, & ex horum progenie fuit S. VVillebrordus in Anglia natus, qui ad prædicandum Euangelium Christi Frisonibus, atque Saxonibus Traiectum deuenit. Testatur hoc idẽ Marcellius in legenda S. Suidberti Episcopi, vbi loquitur de duodecim viris sanctis & doctis, qui cum B. VVillebrordo primum Traiectum venerunt, dicens: Et quoniam hi Sancti Doctores propagati fuerunt in Anglia, de stirpe Frisonica, igitur conuenienter prædicare potuerunt iis Euangelium Iesu Christi germanica lingua. Dicit insuper Chronica Leidensis, quod S. VVillebrordus, cum suis ex Anglia veniens, primum appulit

in Valachriã inſulã Zelandię, & venit VVeſt-capellam, vbi Idolum habebant Mercuriũ, ibiq́ue Euangelium lingua Friſonica, quaſi Friſo Friſonibus prædicauit. Hic aliquanto prolixius extra materiam diuagati ſumus, vt demonſtraremus Anglos à Friſonibus originem habuiſſe. Nunc autem hiſtoriæ noſtræ ſeriem proſequamur, & ad reliqua properabimus.

CAPVT XXIIII.

HAec igitur terra & poſſeſſio Friſonum cum termino ſuo, incipit à Rheno, vt dicit Bartholomęus Anglicus in libro de proprietatibus rerum, & terminatur mari Danico: ſed hodie longè alia eſt ratio diuiſionis, vbi non ſecundum flumina, ſed ſecundam domini principum terrarum Friſiæ ſunt partitiones Zelandiarum, cuius ſingulæ Zelandiæ propriis & ſpecialibus diſcretæ ſunt nominibus, omnes tamen, & tota hæc terra generali nomine Friſia nũcupatur, vt ſe Friſones nominari gloriantur. Et quãuis hæ omnes Zelandiæ, lingua, legibus, inſtitutis inter ſeſe differre videantur, multa tamen multis communia ſunt. Cornelius Tacitus in libro de moribus Germanorum dicit, maioribus, minoribusq́ue Friſiis vocabulum eſſe ex modo virium, vtræque nationes vſq; ad Oceanum Rheno prætexuntur, amb i-

ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classib⁹ nauigatos. Ex quo veteres Historici Frisiã bifariam diuisere, duplicemq́; esse dixerũt, maiorem videlicet & minorẽ. Minorem verò constat proximam esse Danis, sed vbi ad Orientem incipiat, aut finiatur, non facile dixerim, & ideo iudicio illorum, qui illius terræ maiorem habent noticiam, relinquo definiendnm. Id tamen affirmare non dubito, quin Frisiæ terminos, vel maiores aliquando fuisse, eò quòd ante conuersionem Germanorum ad sacram Christi fidem, non solum Frisiis, sed etiam omnibus pene Germanis peculiare erat, aut suos dilatare (expulsis vicinis) terminos, aut prioribus relictis sedibus, vel prædę dulcedine, vel alieni soli fertilitate ductis, nouas quærere, & sic superuenientibus fortioribus, pauciores facile pellebantur suis sedibus. Siquidem in regionibus frigidis, eò maior est ibi hominum fœcunditas, quò rarior est ibi aëris contagio, quæ solet mortalibus fœtidum calorem ingerere, fatumque & mortem plerumque accelerare. Quod & Frisiis euenisse, atque ipsos aliis fecisse, non raro apud veteres legitur. Quippe inundatione maris sæpe cõpulsi, in tantam multitudinem cum omni supellectile, coniugibus & liberis, ac tenuitate fortunarum, quas habebant emigrasse, nouas sedes quæsiuisse, & natalitia loca deseruisse

ſe conſtat, vt longè pauciores ſæpe eſſent, qui domi manerent quàm qui egrederentur, vt vix ſufficiens incolarum numerus terræ excolendæ relinqueretur. Nec mirũ, quod homines ad maris æſtus, quos perpetuò natura afficit, per dies ſingulos bis accidentes, in dignati ſunt, vt patrio ſolo digrederentur, quæ tamen poſterioribus ſeculis tam frequentes non accederunt. Nam refert Cornelius Tacitus Eques Romanus lib. 3. Annalium, tempore Neronis Cæſaris Friſios agros vacuos reliquiſſe, & nouos quæſiuiſſe, eoſdemque poſſediſſe. Iamque fixerant domos, ſemina aruis intulerant, vtque patrium ſolum exercerent, quum dubius Auitus accepta à Paulino prouincia, minitãdo vim Romanam, niſi abſcederent, Friſij veteres in locos, aut nouã ſedem à Cæſare impetrarent, perpulit Verritum & Mallorigẽ preces ſuſcipere, quib⁹ Romã profecti Nero iuſſit Friſios agris diſcedere. ſed illis aſpernantibus, equis auxiliaribus repentè immiſſis celeritatẽ attulit, captis cæſiſque, qui peruicacius reſtiterant, eoſdem agros Anſibarij occupauere, qui antea expulſi à Cauchis (vt idem refert) ſuis fuerant ſedibus. Hæc ille. Et alibi apud eundẽ Tacitum: Proinde facto per Cattos & Friſios itinere trans Rhenum in vltimis Galliarum oris, ad ſeptentrionalem Oceanum conſedere, vbi cum diutius manere non poſſent, ob maris

Gallici inundationem, per Galliam errabundi, ad Rhodanum vſque venerunt, ibiq́; ſedes figere conſtituerũt. Item amplius apud eundem Tacitum: Friſij Gallias incurſabant. Et quidem his ſimilia plura apud veteres inueniri poſſe non dubito, niſi priorum temporum ſcriptores, vt Ptolomæus, Strabo, Tacitus, & plures alij, qui res Germanicas, vel eius ſitum diligenter ſcripſerunt, valde obſcuram ambiguitatem præberent legentibus, ita vt admodum difficile ſit diſcernere & cognoſcere, qui antiquitus Zelandiæ & prouinciæ Friſiæ fuerunt termini. Quod inde eueniſſe conſtat, quia non modo in Germania, ſed etiam in vniuerſo pene orbe, non ſolum limites Regionum, prouinciarum, Inſularum, Comitatuum & locorum, ſed & nomina penitus ſunt mutata. Inſuper & Regnorum atque prouinciarum termini multam acceperunt varietatem, ita vt aliqui populorum ſitus, aut prorſus ignorentur, aut cum magna difficultate inueniantur, quibus ſiue hominum voluntas, ſiue rerum euentus nomina penitus diuerſa indidit.

CAPVT XXIIII.

HAEc igitur attendentes viri docti, & multarum rerum periti, laborauerunt accuratius hanc tollere ambiguitatem, ſcribentes tabulas ſuper Coſmographiã

Ptolo-

Ptolomæi, & Diui Cæſaris commentaria, vt priſca illa regionum & ciuitatum nomina, cum his, quibus nunc vocantur nominibus, concordarent. Exercuerunt quidam propria ingenia ſua, & non parum (vt verum fatear) profecerunt ex fluuiorum circumſtantiis, quæ magna ex parte in Germania antiqua nomina retinuerunt, multaq; alia, quæ prius obſcura erant, poſteris plana fecerunt. Non tamen in omnibus, maximè in deſcriptionibus inferioris Germaniæ, lectori ſatisfecerunt, cum ſæpe quiſque alteri contraria proferat. Nam, vt de populis Zelandiarum & prouinciarum Friſiæ paucos proferam, Bructeros, Angriuarios, Chamanos, Cattos, Dulgebinos, Chaſuarios, Cauchos, Foſos, & multos alios à priſcis narratos authoribus, Friſiis quidam eſſe proximos, ipſi interpretatores dicunt, non tamen quibus nunc vocantur nominibus, poſſunt affirmare. Nam ſi quis Ptolomęum, Strabonem, Plinium, alioſque veteres tum Geographos, tum Hiſtoricos inſpexerit, inueniet plurima gentium & prouinciarum nomina, quarum veſtigia nuſquàm hac noſtra ætate inueniuntur, quum Tacitus inquit, maior Cæſari motus, ne bellum vna mole ingrueret, Cecinnam cum quadraginta cohortibus Romanis diſtrahendo hoſti, per Bructeros ad fluuium Amaſum mittit. Equitum pedo profectus

finibus

finibus ducit, ipse impositis uauibus quatuor legiones per lacus vexit, simulq; pedes, eques, classes, apud prædictum amnem conuenire. Item ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum: quantumq; Amasiam & Lippiam, amnes inter vastatum, haud procul Teutoburgensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumq; insepultæ dicebantur. Hæc ille. Ergo, salo, meliori iudicio, quosdam populos de supradictis, non tam Frisiis proximos (vt ipsi volunt) quàm Frisios ipsos fuisse, & esse credo: licet nunc aliis vocentur nominibus. Nam vt supra dictum est, Frisia quum sit magna, & multas in se contineat prouincias, & Zelandias diuersorum nominum, quarum nonnulla nomina instar aliarum nationum nunc mutata creduntut. Hæc tamen gens, hæc etiam terra, ex omnibus pene Germaniæ populis & terris sola antiquum nomen retinuit. Legantur veteres Germani & Græci scriptores, qui Germaniæ gesta & situs scripserunt, & Saxonum, VVestphalorum, Turingorum, Traiectensium, Geldrensiũ, atq; Cliuentium historiam nec memorasse quidem prædictas gentes atq; terras, quum tamen Frisiæ, eiusque gentis sæpius meminerint, vt Ptolomæus in Cosmographia sua, & Cornelius Tacitus in Augusta historia, & in libro de situ & moribus populi Germanicæ nationis, & plures alij. Non quod aliæ

Germa

Germaniæ nationes tunc non erant, aut prædicti authores eas minimè lustrauerint, aut de iis nihil scripserint, sed quia alia tunc, quàm nunc nomina habuerint. Ptolomæus enim duobus locis meminit Bructerorum, quod tenent Germaniam à septentrione, incipientes ad Rhenum fluuium. in altero loco minores (inquit) gentes, quæ inter Cauchos paruos, & Sueuos iacẽt, Bructeri sunt. Irenęus tradit Bructeros dici Frisones, apud quos est ciuitas Groninga. Tacitus dicit in lib. de moribus Germanorũ: Pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu fauore, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu feruore quodam erga nos, ne spectaculo quidem prælij inuidere, super sexaginta milia non armis telisq́; Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculorum ceciderunt. Sententia Strabonis de Bructeris lib. septimo hæc est: Amasia fluuius est, in quo Drusus Bructeros nauali prælio superauit. Et infra: Amasia per Bructeros labens. Cornelius Tacitus author grauissimus simul & doctissimus scribit, in Germania, Frisios, inter Bructeros & Dulgebinos & Thasuarios habitare, & ad Oceanum vergere, & Auriguarios & Chamanos, à tergo Dulgibini, Thasuarij claudunt, aliæque gentes à fronte Frisij excipiunt. Hæc ille. Sunt qui volunt Bructeros terram incoluisse non longè à Fulda,

vbi

vbi & hodie veſtigia apparēt, & dicitur Bruchonia. Et multi volunt terram Broeckmerlandiam, in hodiernum diem nomenclaturam à Bructeris ſumpſiſſe.

CAPVT XXV.

HAbuerunt itaque varia nomina ſingularum Friſiæ Zelandiarum, ſingulæ Zelandię moribus tamen ac opinionibus cōſimilibus imbutę, licet nullum ad nos tranſmiſerint antiquitatis nomen, vtpote Friſij inter Viſurgum & Rhenū, olim Cauchi nominati, quandoque Bructeri antiquo nomine. Et Traiectenſes Bethaſij: Geldrienſes, Menapij appellati fuēre. Quod autem quarundam Friſię Zelandiarum populi, aliis quandoq; apud veteres vocitati fuerunt nominibus, on debet quis mirari, quum mutationes nnominū multis modis accidere ſoleant. Quandoq; enim Reges deuictis prouinciis ſuppreſſerunt priſca nomina, & ſua propria indiderunt, abolito dictarum gentium nomine: vti de Engiſto dictum ſuperius exiſtit. Et Hungari ſuperatis Pannonib⁹ Hungariā, Normandi occupata Britannia Normandiā Tartari ex Sarmatia Tartariā nominarūt. Quod quia id noſtris ſeculis factū fuiſſe cōperimus, vetuſtis illis ſeculis idem factitatū fuiſſe, nemini dubium erit: ſed qua temporum iniuria Friſiorum Zelandiæ, ſua perierunt

runt nomina, ſcire non potui. Quin & in Friſia Ciuitates, Arces, & alia loca multa ſunt, quorum nomina penitus ſunt abolita, & noua eis indita: vt Phileum, teſte Ptolomæo, nunc Groninga, Anthonina nunc Traiectū, Noualia nunc Svvollis, & Dockinga nunc Dockum, Lanum fluuium nunc Lauuero. Quamuis Cranztius dicit Saxones ſupra Lanū habitātes debellandos (à quo fluuio, inquit, Alani dicti ſunt.) Et in ſequēti cap. 7. lib. 1. dicit Saxones Alanos habitare in paludibus Oceani occidentalis. Et annumerat Cauchorū, hoc eſt, Friſiorum gentē Saxonibus: illi enim (inquit) paluſtribus locis habitant & campis apertis. Tamen dicit Alanos non eſſe Friſios, cum nuſquam in Saxonum regione hoc nomine riuus agnoſcitur. Ex quo conſtat ipſum erraſſe, & Alanos etiam Friſios fuiſſe, quum Lanus ſit riuus in hunc diem Friſiæ, & limes ſiue terminus tertiæ Zelandiæ, vulgari lingua de Lauers nominatus, à Crantio & priſcis ſcriptoribus incognitus. Præterea portus & arx Manermanim. Item lucus Baduhenni, de quo Tacitus lib. 4. Annalium inquit, Mox compertum à transfugis ingentes Romanorum apud lucum, quem Baduhenne vocant, pugna in poſterum extracta, confectos. Clarum inde inter Germanos Friſiorum nomē. Quæ nomina ex priſcis temporibus & nominibus, modernis vocabulis non poſſunt adaptari.

aptari. Itaque mea opinione nemo Frisonicos fluuios rectius, & locorum situs melius Ptolomæo distinguit: congruentes præsenti tempori. Vult enim Ptolomęus in quarta tabula Europę, Frisiam esse prouinciam sitam inter Amasum ad orientem, & Vidrum ad occidentem fluuios, habentem Oceanum Germanicum ad septentrionem, ad austrum verò Busactores minores, vnde facile est ostendere, qui illi olim fuerunt Busactores, si in testimonium adducamus ipsum Ptolomæum dicentem in sua Geographia, lib. 2. partem, quæ secus Oceanum est, inhabitant Frisij ab Isula, siue extremo Rheni ostio, vsq; ad Amasim fluuium, & hi Busactores sunt. Et Orosius expresse dicit, quod Valentianus Imperator gentem Saxonum, supra Lanum fluuium habitantem in Oceani littoribus, & paludibus inuiis sitam, virtute atq; agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionē magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppresserit. Et cum nusquā in tota Germania reperiatur, hoc nomine Lanus fluuius, nisi in Frisia Lauuerts, vnde Alani Saxones dicti, & antiquitus Cauchorum gens, hoc est Frisiorum, adnumerata est Saxoniæ, qui campis habitant apertis, & Frisij in palustribus locis & inuiis paludibus, facile videant lectores, quod fuerunt illi Alani Saxones, Frisones. Conradus Celtes poë-

ta egregius, Frisios bubulcos vocat, & Meri-
lianus ipsos ponit iuxta Brabantiam & Gel-
driam, ex quo plures, illos non Frisios esse
volunt, nisi quod Ptolomęus addit, minores
autem gentes, quæ inter Cauchos paruos at-
que Sueuos iacent, Bructeri sunt. Quæ regio
iam multas in se continet ciuitates, vtputa
Dauentriam, Groningam, Stauriam Impe-
riales, & alias minores ciuitates, Svvollam,
Leouerdiam, Hasseletum, Stenvvicam, Vol-
lenhouam, Snekam, Franekeram, Bolsvvar-
diam, Slotam, Harlingiam, VVorkumiam,
Doccum, vt vix esse credam prouinciam,
quæ simili spacio tantum oppidorum con-
tineat, mediocri quidem magnitudine, sed
incredibili politia in domesticæ supellecti-
lis nitore, & frequenti numero eruditorum
hominum, quæ plerumque gentes antiqui-
tus alia procul dubio etiam habuerunt no-
mina, vti dictum est.

CAPVT XXVI.

POst hoc Busacturos, Cauchi qui appel-
lantur parui (inquit Ptolomæus lib. 2.)
vsque ad Visurgum fluuium habitant,
deinde Cauchi maiores vsque ad Album flu-
uium. Hæc ille. Cui concordat Cornelius
Tacitus libro de situ Germaniæ, inquiens
Cauchorum gentem à Frisiis incipere, ac par-
tem littoris occupare, multarumq; gentium

lacera-

latera obtendi donec in Cattos vsq; finiuntur, tam immensum terrarum spacium non tenent tantum Cauchi, sed & implent. Ex his doctissimi viri permoti, dicunt, & quidem meo iudicio bene, hos Cauchos esse, quos nunc orientales dicimus Frisios, terram videlicet Emdensem ab Amaso fluuio sic dictam. Et hos quidem Cauchos Tacitus vbi supra, inter omnes Germaniæ populos multis extollit laudibus, ibidē sic referens: Cauchorum populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malint iustitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti securique, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur, id præcipuum virtutis ac virium argumentū, quod vt superiores agant, non per iniurias assequuntur, prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus plurimorum virorum, equorumque, & quiescentibus eadem fama. Et non sine causa dicit etiam Plinius, Cauchorum gentem populi magnitudinem ostensurus immensum terrarum spatium non tenere tantum, sed & implere. Tacitus etiam lib. 11. Annalium inquit: Natio Frisiorum per rebellionem clade L. Apronij cœptam, infensa aut malefida, datis obsidibus, consedit apud agros à Corbulone descriptos, ac ne iussa exuerent, præsidium inde muniuit, missis qui maiores Cauchos ad de-

ditionem pellerent, ſimulque Gannaſcum dolo aggrederentur. Si igitur hi Cauchi fuerunt, & ſunt Friſij vt patet, credendum eſt etiam, & alios populos, quos dicit Tacitus (vti ſupra paulo poſt ſubiungit) eſſe Friſios, licet aliis nunc etiam vocentur nominibus, vnde dicit, In latere (inquit) Cauchorũ Cattorumq́;, Cheruſci, contermina gens eſt Phoſeæ ſiue Foſi. Hæc ille. Ex quo patet, quod Phoſea inſula eſt in ipſo Friſonum atq; Danorum confiniis conſtituta, quæ à quodam Phoſeta (quem errore gentili incolæ deum credebant) dicta. Et nominabatur terra Phoſetanea, quæ dicitur iam Helgerlandia, vti etiam in legendis S. VVillebrordi & Ludgeri Epiſcoporum legim⁹. Habitantes, inquit, in confinio Friſonum & Danorum in quadam inſula Phoſtelandt, quam inſulam Radbodus Rex Friſonum, ſua frequentiori præſentia plurimum illuſtrabat: vt legitur in legendis ſupradictorum ſanctorum, quod D. VVillebrordus eò ad conuertendum Regẽ Radbodũ fuit miſſus, ac poſtea à S. Ludgero verbum Dei ardentiſſimè in ea euangelizando, breui temporis ſpacio, diuina comitante gratia ad fidem Chriſti conuerſa, Phoſetum & phana deſtruxit, & omnes credentes baptizauit, prout inferius in tertio libro latius dicetur. Si igitur hi Phoci aut Foſi & Phoſeta idem ſunt, vt ex alluſione terminorum videtur,

ur,atque Radbodus Rex Frisonum, in terra Fosetanea siue Fostelandt frequenter habitasse dicitur, constat profectò illos Frisones fuisse, aut saltem Regi aut domino Frisiorũ subiectos. Et si Fosi, quis dubitet etiam & Catthos, Cannefatos & Cerufcos, quos Tacitus supra intra Cauchos ac Fosos dicit habitasse, olim fuisse Frisios, aut saltem subiectos Frisiis, & adhuc fortè esset Frisios, licet illa nomina nunc sint abolita. Cõstat enim Catthos fuisse, qui nunc in Hollãdia *Catvvykers*, & *Rinlanders* dicuntur, & Cannefates, qui *Kememers* appellantur. Itaque non de nominum mutatione, quæ frequenter & quandoque ex facili causa accidere solet, tam pertinaciter esse disputandum opinor. Quemadmodum enim Itali, ex eo nõ desinunt esse Itali, quod Græci eos Barbaros vocant, ita & nos Busactores Cauchos & Fosos, non desinemus vocare Frisios.

CAPVT XXVII.

MAiores verò Cauchos Ptolomęus putat esse Saxones inter Visurgum & ad Albim fluuios degentes, qui pręcipuè in hodiernum diem nomen obtinent speciale *Strandtvresen*, quotquot populi diuisi habitant inter Bremam & Hamburgam ciuitates. Ptolomæo astipulatur Plinius lib. 16. cap. 2, vbi quoque discriminat Cauchos di-

cens; Maiores & minores, cuius verba infra adiungam. Cauchi itaque minores ad Visurgum fluuium vbi Bremensis ciuitas proxima sita, itaq; episcopatus Verdensis & Mindensis. Cauchi secundum alios, Saxonum populus inter Visurgum & Rhenum fuisse constat. Præterea Cauchorum meminit Tacitus lib. 1. & 2. Annalium: & Actius Spartianus in vita Iuliani, iuxta Albim ipsos ponit. Cauchorũ Frisiorum Insulas in Gallicano Oceano esse sitas, Plinius lib. 4. cap. 14. testatur. Ad Oceanum pertinere Cauchos describit Strabo lib. 7. Annotandum igitur hoc loco est, terram Cauchorum quam describunt Geographi esse sitam per Oceanum, inter Amasum & Visurgũ, deinde ab eo vsq; ad Albim, fuisse minus infructuosam, asperáque olim degisse vitam constat ex descriptione Pliniana, quod scilicet maîor pars inundabatur quotidie fluctibus & refluctib9 Oceani, adeo vt vndique extarent colles ac tumuli arenosi fere infrugiferi, in quibus fuerũt casæ, aut domus hominum Cauchorum, qui non habebant pecudes aut iumenta, neque lacte alebantur, sed tantum ex piscatione viuebant, vt Plinius dicit, ac postea per longo tempora, inter se tumuli illi arenosi multã accipiebant limi, ex quorum frequẽti inundatione, & industria hominum, facta est terra optima, fœcunda & fertilis. Preterea ex di-

luuio

luuio maximo, eſt eleuata terra ceſpitoſa(vt dicunt)ex partibus Noruegiæ, & per aquam illam & continui venti ſpirationem, delata ad partes Friſonum vndiq;, & maximè Cauchorum terram, vbi permanſit in hodiernum diem, etiam ad vtilitatem hominum, & commodum magnum pro ignis fomento. Certiſſimum eſt huius rei argumentum, hanc terram ceſpitoſam, aliquando per nimiam inundationem diluuij aliunde dilatam. Nam vbique ceſpitoſa illa terra effoditur, apparent adhuc inter terram inferiorem arenoſam, atque ceſpitoſam, multæ arbores iacentes, tam quercuum, quàm abietum, & aliarum, ſuper quas illa ceſpitoſa terra, ex aquarum illarum violentia ſedet, vnde etiam & multoties effodiuntur arbores, & exſiccantur, ad commodum illorum hominum, vel ad ignis vſum, vel ad domorum conſtructionem. Inueniuntur etiam in aliquibus partibus ſub terra illa ceſpitoſa, varij generis nummi argentei, & denarij metallici, aurei, cupreique alij, tam magni quàm parui, ſed plerumq; craſſioris monetę quàm hoc tempore, certè penitus ignoti. Quorum plerique etſi vetuſtate videantur eſſe corrupti, tamen recentem admirandamque antiquitatis formam habent, vti ſuperius primo libro latius diximus.

CAPVT XXVIII.

TAlis fuit olim Cauchorum terrę facies, sed posterioribus temporibus immutata, modo priori (vt diximus) dissimilis. Et vt olim colles & tumuli, quos in plano habitandi causa, veterum labore & industria extruxerant, erant infœcundi, sic postea effecti sunt vtiles, & frugiferi, vt in hodiernum diem apparet. Et meo æuo in Frisia nostra paludes aliquot & stagna repleta sunt limo, Oceani inundãtis beneficio, ex frequẽti alluuione maris æstuãtis, adeo vt vnde dudum nauigio transuectus essem, postea pedestri itinere ac curru transiuerim. Id quod prçcipuè accidit in terra Phedargorum siue Reyderlãdt. Sunt in septentrione VVesarę, inquit Plinius lib. 16. ca. 2. gentes Cauchorũ, qui maiores minoresque vocãtur. Vasto ibi meatu, perpetuis bis dierum, noctiumque singularũ interuallis, effusius in immensum agitur Oceanus, æternã operiens rerum naturæ controuersiam, dubiumque, terræ ne sit an pars maris, illic misera gens tumulos obtinet altos, & tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi æstus, casis itaque impositis nauigantibus similes, cum integant aliquę circundatę naufragijs, quum vero recesserunt fugientes cum mari pisces, circa tiguria venantur, quos sic acceptos vento magis quàm sole desiccant, non pecudes hos habere,

ere, nec lacte ali, vt finitimos, nec cum feris quidem dimicare contingit, omni prorsus abiecto frutice, vlma & palustri iunco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia, captumque manibus lutum ventis magis, quàm sole siccantes. Terra ciboque sedent, rigentia Septentrione viscera sua vrunt. Potus non nisi ex imbri seruato scrobibus in vestibulo domus. Et istæ gentes certè si vincantur hodie, populo Romano seruire se dicunt. Ita est profecto, multis fortuna parcit in pœnam. Aliud in syluis miraculum, totam Germaniam reliquam replet, adduntque rigori vmbras altissimè tamen haud procul à supradictis Cauchis, circa duos præcipuè lacus, littora ipsa obtinent, quercus maxima auiditate nascendi, suffossęque fluctibus, & propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt, atque ita libratæ stantes nauigant ingentium ramorum ornamentis. Hæc ille. Quæ de Frisia (lector candidissime) à me quàm verissimè potui digesta, sufficiant.

CAPVT XXIX.

Catthi ab Hircineo saltu inchoant, inquit Cornelius Tacitus in libro de moribus Germaniæ, non ita effusis ac palustribus locis, vt cęteræ gentes, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paulatim rarescunt, & Catthos suos saltus

Hircinus proſequitur, ſimul atque deponit.
Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax
vultus, & maior animi vigor, multæque (vt
inter Germanos) rationis & ſolertiæ, prępo-
nere electos, audire præpoſitos, noſſe ordi-
nes, intelligere occaſiones, differre impetus,
diſponere diem, vallare noctem, fortunam
inter dubia, virtutem inter certa numerare,
quodque chariſſimum, nec niſi ratione di-
ſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce,
quàm in exercitu, omne robur in pedite,
quem ſemper arma ferramentis quoque &
copijs coonerant, alios ad prælium ire vi-
deas, Catthos ad bellum rari excurſus, & for-
tuita pugna. Equeſtrium ſanè virium id
proprium, citò parare victoriam, citò cede-
re, velociter iuxta formidinem cunctatio,
proprior conſtantia eſt, & alijs Germano-
rum populis vſurpatũ, rara & priuata cuiuſ-
que audentia apud Catthos in conſenſum
vertit, vt primum adoleuerunt crinem bar-
bamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo ex-
uere, vetitum: obligatiuumque virtuti oris
habitum ſuper ſanguinem, & ſpolia releuant
frontem, ſeq; tum domum pretia naſcendi,
retuliſſe, dignoſque patria ac parentibus
ferunt. Ignaui verò & imbecillibus manet
ſqualor, fortiſſimus quiſque ferreum inſu-
per annulum ignominioſum id genti, velut
vinculum geſtat, donec ſe cęde hoſtis abſol-
uat.

iat. Plurimis Catthorum hic placeat habitus, iamq́ue canent inſignes & hoſtibus ſimul quiſq́ue monſtrari. Omnium penes hos initia pugnarum, hæc prima ſemper acies viſa noua. Nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt, nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venere aluntur, prodigi, alieni, contemptores ſui, donec exſanguis ſenectus, iam durę virtuti impares faciat. Proximi Catthis certum iam alueo Rhenum, quiq́ue terminus eſſe ſufficiat, Vſipij & Theuteri colunt. Theuteri ſuper ſolitum bellorum decus, equeſtris diſciplinæ arte pręcellunt. Nec maior apud Catthos peditum laus, quàm Theuteris equitum eſt. Hęc autem extra propoſitum, occaſione terminorum mutationis nominum, inſularum terrę Friſię breuiter quaſi per compendium diſſeruiſſe, ſufficiat. Quum tamē nullus tam exactæ doctrinæ poſſet exiſtere, qui veritatis loco eos populos, ad noſtri ſeculi gentes referre audeat, niſi omnino coniectura vtatur. Quamuis Crantzius Catthos (vt quidē bene) Saxones eſſe dicit. Et Tacitus Batauos genus eſſe Catthorū aſſerit, ad ripam Rheni, nunc vocati Cathvvykers, inſulam Rheni amnis in occidua Friſia colētes, qui fortaſſis in eas terras progreſſi, ex Saxonibus prodierunt, & nomen ſuum ſibi retinuerunt. Tu tamen ſi nobis oculatior es, ac multo acutius vides, id

quò

quò te sententia tua duxerit, retineas: nos vero nobis cecinisse, puta. Nunc autem ad nostræ historiæ ordinem reuertamur, & prosequamur, ne interrupta narrationis serie, lectori tędium afferamus.

Secundi libri antiquæ descriptionis Frisiæ,

FINIS.



LIBER TERTIVS RERVM GESTARVM FRISONVM, EXPLICANS SVBACTIONES Frisię, & conuersiones ad fidem Christi.

CAPVT I.



QVum itaque Frisia, certis terminis atque limitibus diuisa esset, & singulæ Zelandię siue insulę coli, & inhabitari à filijs Frisonis, & populo, qui secum venerant (licet numero pauci essent) cœpissent, præcepit eis Friso pater, vt non constituerent sibi regem aut ducem, nec vnquam se externo subijcerent Domino, sed liberi, & in libertate permanerent, terram illam per iudices, ex se ipsis electos, gubernarét. Quod & multis annis, cum ingéti gloria, & magno rerum temporalium incremento, seruauerunt, donec multiplicati, crescerent in gentem magnam atque robustam, ita vt inciperent timori esse Regibus, Ducibus, & Tyrannis vicinis, contra quos quotidie pugnantes, dilatauerunt terminos suos. Procedente autem tempore, paternæ immemores traditionis, degenerarũt ab institutis patrijs, ac pessimo inito consilio, communi statuerũt decreto,

creto, mittere legatos ſuos ad Regem Danorum, vt ipſe veniẽs dominaretur eis. Miſſa itaque ſolemni legatione ad Regem Danorum, dixerunt, qui miſſi fuerunt, Iudices & populus ſeptem Zelãdiarum Friſiæ, non habentes Regem neque Dominum, miſerunt nos, te rogantes, vt eos ſub tua protectione & dominio ſuſcipias, Daniciſque eos inſtituas legibus. Gratiſſima fuit aſtuto & auaro Regi Daniæ tam grandis & inſperata oblatio. Conſiderãs enim quorſum tenderet hæc legatio, plurimum gauiſus eſt, occaſionem diu optatam aduenisſe, prudenter tamen diſſimulans lætitiam, ne à legatis notaretur: voluerat enim animo Rex, quonam pacto aut occaſione dominium Friſiæ poſſet obtinere, ſuæque eos ſubijcere ſeruituti. Nunc itaque opportunum nactus tempus reſpondit legatis: Optimè ſuſcipiam vos (inquit) meam ſub protectionem, bonuſque vobis ero Dominus, & continuo miſit cum eis vnum de Principibus ſuis, animo & genere clarum, qui populo & terræ Friſiæ præeſſet, ipſe quamprimum ſubſequeretur. Et vt ipſe Iudex inter Friſones eſſet maioris authoritatis, dedit ei ſororem ſuam in coniugem. Qui pergens cum legatis, exceptus eſt à iudicibus, & maioribus ſeptem Zelãdiarum Friſiæ in Gronenburch viridi monte, vbi nunc eſt Groninga, congregatis. Nec multo poſt &

ipſe

ipſe Danornm Rex, venit in Friſiam, ad quē ex omnibus ſeptem Zelandijs Friſij conuenientes, ſe & ſua eius ſubiecerunt imperio. Quo vero tempore hæc acta ſint, non potui apud probatos authores inuenire. Et eſt ratio, quod antiquitus Friſij doctos viros non habuerunt, neque alij tantam curam in deſcribendis Friſiæ hiſtorijs adhibuerunt, vt tempus exactè poſteris tradere poſſint, & ſic tempora ac rerum geſta tranſierunt, abſque eo quod ab aliquo notarentur, & per hunc modum illa obliuioni ſunt tradita.

CAPVT II.

OCcupata iam Friſia, cœperunt Dani moleſti eſſe Friſonibus, imponendo eis inuſitata & intolerabilia tributa, & de omnibus iumentis quotannis vectigal pē dere. Conſtituitque eis Rex leges, ſecundum quas viuerent, & alia eis impoſuit onera Friſijs minus grata & inſolita. Et licet ſeſe à cædibus & rapinis temperarent Dani, nauſeam tamen & faſtidium ob morum diſcrepantiā generabant. Conſtructa enim iudici ſuo in Gronenburch arce, vbi nunc eſt templum D. VValburgis, ipſe Rex ad propria reuerſus. Eoque abſente, non diu violentum eius tulerunt imperium. Nam Friſij in libertate eſſueti, ſuis legibus & moribus viuētes, nullumque agnoſcentes principem, præter domeſticos iudices, graue Danorum iugum nimis

mis impatienter, & iniquo animo ferentes post dimidium annum vnanimiter cogitabant, gloriosam mortem seruituti turpitudinique esse anteponendam. Et cum Regius præfectus aliquanto insolentius liberæ genti imperare contenderet, & ita eos diuexaret, vt ob intolerabilia onera & tributa soluenda, impellerentur, prædia relinquere desolata, alios pecuniaria, alios capitali plectentes pœna, cum Regis non parerent decretis: Frisij conglobati maxima acceleratione repulerunt Danos, aliquot millibus ex ijs prostratis, captumque iudicem, sine omni iudicio præuio, amputatis manibus & capite truncato, ad ludibrium in triumphum circumducunt, ac tandem submerserunt ipsum in mari Danico. Deinde pergentes in Gronenburch, vbi conuenire consueuerunt, inuaserunt eius domum, & vxorem eius grauidã, violentius quàm iustius eduxerunt, nauique impositam remiserũt in Daniam ad Regé, simulque ei mandantes, vt quæ contigerant, viro suo, Regi annunciaret. Quæ enauigato mari, ad Regem fratrem, cuncta quę Frisij in virum suum durius exercuerant, & quæ ei nuncianda commiserant, exponit. Rex verò violati iusiurandi iniuriam, ac sororis viduitatem consternato animo pensans, valde iratus, decreuit valida manu Frisiam inuadere, & vltionem de ijs condignam sumere.

Itaque

Itaque conuocatis omnibus Regni ſui Proceribus, principibus & conſiliarijs, rebellionem Friſonum & necem mariti, ſororis ſuæ iam grauidæ, partuique proximæ, exponit: & de belli ratione conſultare cum ijs cœpit. Principes verò & conſiliarij ipſum à propoſito auertentes, conſuluerunt in præſentia bellum Friſijs nullo pacto inferendum, & belli diſcrimen cum ijs ſubeundum, ſed deliberationẽ furori dandam, improuida plerumque nocere conſilia, nihilque ſimul cautè atque celeriter geri poſſe, plurimum præcipites obeſſe niſus, cæterum ſolertem eſſe, qui furenti animo frenos inijciat, ſæuiẽteſq; ad tempus impetus interpellere, vtpote accenſis animis pro libertate atque rebus tuendis inſoleſcentibus, & pugnare, & mori paratis, ſed in aliud magis tempus opportunũ differendum, ad hoc tam arduum, tamque periculoſum perficiendum negotium. Quorum conſilijs acquieſcens Rex, ceſſauit ab incepto. Poſt hæc expleto tempore, ſoror Regis, vxorque iudicis Friſonum prægnans, filium elegantis formæ enixa eſt, quod cum Friſijs eſſet nunciatum, non defuere inter eos, qui vaticinando præſagirent, per hunc puerum graui iugo omnes Friſones ſeruitutis opprimendos. Creſcebat igitur puer, & omnes coæuos & coætaneos ſuos animo & fortitudine corporis præcellebat. Et cum

duodecimum ætatis suæ annum ageret, ad-
modum rebus bellicis delectabatur: excel-
indolis manifestissima signa, ac indicia pro-
ferre cœpit, vt iam cæteris conspicuo virtu-
tis habitu præstaret, ita vt quatuordeci-
annos natus, inusitato corporis incremento
perfectissimũ humani roboris preferret spe-
cimen, nulli etiam fortissimo viro, quacun-
que in arte pugnandi, & virtute videretur
inferior. Quam ob causam multis ex coæu-
erat molestus, nunc hunc, nunc illum so-
dextera manu ex petulantia (quæ talibus in-
esse solet) pedibus humi prosternendo, & e-
prouocatione dimicando, tantam robor-
firmitatem vario agitationis genere conse-
quebatur. Tantaque indolis eius fuére expe-
rimenta, vt quidam adolescens nobilis, e
coætaneis suis, quem præceps deiecerat in
terram, non diutius talia ferens, improper-
uit ei, dicens, Quid (inquit) gloriaris fortitu-
dine tua, & nos inquietas, & es onerosus, si e-
tibi animus, si est fortitudo, vade & vlcisce-
patris tui mortem, quem Frisij amputato ca-
pite proiecerunt in profundum maris. Qu-
audito, obstupuit adolescens, & dimisso ca-
pite, ruboreque perfusus, obmutuit, & sic a-
tonitus atq; furens, ingressus est ad matrem
& sciscitabatur ab ea, quali mortis genere,
vbi pater suus occubuisset, ad cuius verb-
territa mulier, ambagibus blandisq; verbi-
qua

quærebat ſubtiliter occultare veritatem, timens ne filium cum viro perderet. Quod intelligens adoleſcens, minatus eſt matri ſuę, dicens: Niſi mihi quamprimum rei omnem aperueris veritatem, meo mucrone te interficiam, quare mater neceſſitate conſtricta, ordinem rei geſtę (licet inuita) illi detexit. Quod audiens adoleſcens, confeſtim ingreſſus ad Regem, ſuum auunculum, cecidit ad pedes eius, quem Rex iuſſit ſurgere, dicens: Quid vis? aut quid adfers noui? Cui adoleſcens: Intellexi Friſones rebellaſſe contra Maieſtatem tuam, & iudicem à te eis conſtitutum, patrem meum, ab eis interemptũ, quouſque igitur Domine Rex, diſſimulas facere expeditionem contra Friſones, & vlciſci iniurias, tuæ Maieſtati ab eis illatas, quod tu ſi facere nolueris, meum certè erit, ſi etiam mori me oportuerit, & tuas iniurias, & indignam patris mei mortem, vindicare. Cui Rex (volens eum à propoſito auertere) Deſiſte, inquit, infelix, huiuſmodi velle aggredi expeditionem, & ad tempus reſiſte furori, cum improuida plerumque noceant conſilia, ac nihil cautè ſimul & celeriter geri poſſit: ſi enim tentaueris affectui mancipare, quod decreuiſti, ſcito te procul dubio ab eis interficiendum. Taliter Rex præcipitem iuuenis furorem conſilio cedere volens, non potuit tamẽ concitati animi rabiem ad mo-

destiam reuocare. Adolescens verò iuuenili feruens animo, constanter respondit, Non inquit, Domine mi Rex, vt dicis erit, sed tu tantummodo mihi procurabis nauem vnã qua æquora sulcare possum, & viros comites artis nauticæ gnaros, rebellesque ego tibi subiugabo Frisones, atque vetustis alligabo obsequijs. Tunc Rex admiratus huius pueri indolem, & maiorem, quàm ætas pateretur magnitudinem. Cumque adolescentem nullis vel minis, vel blanditijs ab incepto posse diuelli, videret, dedit illi quæ postulabat, & dimisit ad Frisiam. Qui vento marique se committens, nauigauit donec circa viridem montem seu Gronẽburch forte fortuna appelleret, ibique fixis anchoris, ad littus permanebat. Erant autem eo tempore iudices septem Zelandiarum Frisię ibidem in Groneburch fortè congregati, qui egredientes ad nauem, scire volebant quid vellent, aut quid noui apportarent. Quos adolescens ad se venire conspiciens, ac sciens quod terræ iudices essent, comiter ac benignè eos in nauem suam accepit, atq; potum fortissimum, quem de industria ad hoc secum assumpserat, eis abundè ministrauit. At illi potu nimis auidè sumpto, ignorantes potus potentiam, inebriati sunt, & nimio ebrietatis haustu obstupefactis neruis, grauique somno oppressi, mox ille leuatis anchoris, vela pan-
dit

dit:atque ferreis mancipatos vinculis, in Daniam captiuos abduxit. Qui in Regis Daniæ conſpectum adducti, aut crudelem ſubire mortem, aut Friſiam totam Daniæ tradere ſeruituti, coacti ſunt.

CAPVT III.

INteriecto parui temporis ſpacio Haraldus Rex Daniç, contractis Regni copijs ac viribus, Friſiam infeſto exercitu petit, ac potenter in eos ſæuijt, melioremque in ea ſortitus fortunam, coëgit per omnia ſeruitutem tolerare, & tributa inuſitata, & intolerabilia ferre, Ducemque eorum Vbbonem prælio victum viuum cœpit, atque compedibus conſtrictum in triumphum duxit.

De quo Saxo Grammaticus lib. 7. Danicæ hiſtoriæ inquit: Friſicæ gentis athletam Vbbonem nomine, Iuthiæ fines crebra popularium ſtrage vaſtantem, cum Dani armis non poſſent ſubdere, milites ad eum manibus capiendum hortati, humi proſternunt, vinctumque compedibus tradiderunt, ita quoniam paulo antç grauiſſimam ſibi cladem allaturum putabant, deformi expugnationis genere ſuperatum, obtinuerunt. Eoq; capto Haraldus Friſiam vſque ad Rhenum varijs cladibus afflixit, & tributo ſubegit, vt nihil enixius voluiſſe videretur, quam per inauditam crudelitatem, totam terram om-

ni ære ſpoliatam penitus deſolare atque perdere: eoſque coegit confeſtim iuxta Danicas leges & conſuetudines viuere, & cathenas ligneas in collo geſtare, quæ à Friſonum moribus adeo erant aliena, vt citius cælum terræ miſceatur, quam Friſij Danicas leges (quæ nihil niſi Tyrannidem ſapiunt) vel in minimo imitari velint. Quæ dum ita geruntur, adoriendæ bello Friſiæ, Frothoni fratri Heraldi conſilium incidit. Oceanum petenti prima aduerſus VVithonem Friſiorum piratam congreſſio fuit. In qua, ſocijs primos hoſtium impetus ſolo clypeorum obiectu patienter excipere iuſſis, non ante miſſilibus vtendum edixit, quàm penitus hoſtium iaculorum imbrem exhauſtum aduerterent. Quæ tanto auidius à Friſijs emiſſa, quanto à Danis tolerabilius excepta: VVithon Frothonis patientiam à pacis cupiditate profectam exiſtimante. Oritur ingens claſſicum, & immenſo pilæ ſtridore diſſultant. Et cum nullum incautis iaculum ſupereſſet, Danorum telis obſuſi vincuntur, fuga littus amplexi, inter fluxuoſos foſſarum ambitus, obtruncantur. Rhenum deinde claſſe rimatus, extremis Germaniæ partibus manus iniecit, repetitoque Oceano, Friſiorum claſſem vadoſis inflictam vorticibus adortus, cæde naufragium cumulauit. Hęc Saxo Grammaticus lib. 2. Danicæ hiſtoriæ.

CAPVT

CAPVT IIII.

DEinde sub Erico primo Tyranno Danię, Christianorum persecutore, adeo impotenter in Frisios sæuitum est, vt
e vestigium quidem humanæ discretionis
n eo relictum esse videretur. Siquidem ita
os oppressit, vt nihil, aut parum amplius
uàm empta mancipia æstimari viderentur,
vulgari edicto sub pœna capitis mandari
ecerit, in singulis ædibus ad aquilonem, tam
uppressas facere ianuas, ne erecto collo possent intrare vel exire, sed vt quotiescunque
a exirent, flexo capite, Regi Daniæ reuerentiam & honorem exhiberent. Præterea toti
lebi tam grauia imponebat tributa, vt vix
udam carnem turpissimè seruituti obnoxiã
is relinquere cogitaret.

Frisij verò seruitutis impatientes, & inexplebilem auaritiam, intolerabilemque rapacitatem Danorum considerantes, non præstabant, quod necessitate premente promiserant, & sese mutua cohortatione confirmantes, statuerunt inhumanos illos aduenas penitus ex Frisia amouere. Quare procedente tempore confirmatiores facti, vires animumque sumentes, bellum restaurant, ac tantum roboris recuperarunt, vt qui pridem terram suam ægrè tueri, ac suæ propriæ libertati vix consulere poterant, non solum

dominationem Danorum excusserint, sed etiam regibus Franciæ ac Ducibus Brabantiæ infestos sese fecerint, & arma tulerint. Siquidem conglobatis aliquot milibus, ad pristinam libertatem respicientibus, visum est eis peropus esse viro, qui exercitui præesset, ac temporali gladio rem gereret, præsertim ad comprimendas Danorum contumelias, improperia, & insolentias quotidianas. Nec sine Principe, aut Duce ad bellum, felices se esse arbitrabantur. Cumque multum ac diu ea de re consultassent, præstare omnibus visum est, vt vnus omnibus præesset, penes quē in vniuersum Ordinum summa esset potestas. Itaque necessarium rati sunt sibi aliquē confestim excire, qui præcipuè aliis virtute & industria præstaret, & illis imperaret. Quare circiter annum Christi centesimum constituunt sibi Regem virum solertissimum, strenuum, animosum ac vafrum, cuius virtutem & industriam in multis erant experti, cui nemo ea ætate in rebus bellicis aut magnitudine opum in Frisia potuit comparari. Et tenuerunt Reges longo tempore imperiū per Frisiam latè, per Zelandias nominatas, 600. fere annos, donec domesticum imperium, per hæreditariam successionem omiserint. At procedente tempore Frisij vlterioris moræ impatientes, totam multitudinem in armis contraxerunt, & ductu noui Regis,

Danos aggrediuntur, quare etiam perpetua certamina Frisij, cum Danis habuerunt. Durauitque multis annis ista Danorum, & Frisionum conflictatio, in quibus conflictationibus, nunc superiores, nunc deiecti & oppressi Frisones, multaque captiuitatis mala perpessi, longo tempore Danis seruire, & insolita tributa pendere, sunt coacti. Et quamuis illa natio tum propter ignobilitatem contempta fuerit, ità vt Frisij nec armis hosti pares essent, nec fortuna, nacti tamen Regem bellicosum, & militari virtute præcipuum, non quieuerunt, sed omnes tentauerunt vias recuperandæ libertatis, quam tandem armis pulchrè obtinuerunt, & sese in libertatem vindicarunt, cæsis multis milibus Danorũ. Quippe ea fuit ipsius gentis virtus, hi rerum successus, vt non tantum finitimis tandem imperaret, sed & Danos, à quibus bello dudũ impetebatur magnis cladibus victos affecerit, & libertatem suam perpulchrè armis tutaretur.

CAPVT V.

PAtet itaque ex prædictis, quod prima seruitus Frisijs, ex oriente à Danicis Regibus imposita fuerit, cæterum quomodo ab hac prima seruitute fuerint libertati, atque quam diu durauerit, ad liquida non potui inuenire, nam hoc falsum est, vitioque

vel errore ſcriptoris appoſitum cōſtat, quod in quibuſdam Friſonum Chronicis, huic prædictæ ſubactioni continuè ſubnectitur, de aduentu S. VVillebrordi in Friſiam, quaſi per eum fuerint de hac ſeruitute liberati. Nam ſi hæc fuit prima ſubactio, Friſijs vnquam à Danicis regibus illata, conſtat profectò hanc longè ante Dominicam incarnationem fuiſſe factam, quod authoritate probatur Saxonis Grammatici 2. lib. Chronicæ Danicæ, vbi dicit Friſones primo fuiſſe ſubactos à Fronthone primo Danorum Rege, deinde lib 8. eiuſdem Chronicæ dicit Chriſtum Ieſum fuiſſe natum ſub Fronthone, Magno trigeſimo Rege Danorum. Vnde conſtat viginti & vnum fuiſſe Reges Danorum, inter hanc ſubactionem & Chriſti natiuitatem. Et S. VVillebrordus primo in Friſiam venit anno Domini, 690. vnde non eſt credendum Friſones libertati aſſuetos, tunc tēporis tam barbaros, tamq́ue feroces, tam diu Regi Danorū ſeruiuiſſe. Ex quo minimè eſt dubitandum, quin Friſones etiam ab initio antequam Chriſtianam fidem ſuſciperent, alterna vice, nunc ab aliquo vicinorum principum fuiſſe ſubactos, nunc Danorum Regi ſeruiuiſſe, deinde iterum poſt aliquot annos excuſſo ſeruitutis iugo, libertatem priſtinā vindicaſſe. Huic meæ opinioni aſtipulatur Cornelius Tacitus clariſſimus hiſtoriographus

nus lib. 13. Augustæ historiæ, vbi dicit Fri-
ones, tempore Neronis Cæsaris nouos ac va
uos agros occupasse, authore Verrito & Mal
rige, qui nationem illam regebant. Et sub-
ungit, in qua videlicet Frisia, tunc Germani
egnabant. Hæc ille. Ex quo facile probatur,
uod Frisones non semper & continuò à pri
a subactione vixerint sub Danica seruitu-
e, vsque ad tempora S. VVillebrordi, & Ca-
oli Magni (vt quidam dicunt) quia iste, Ta-
itus dicit, quod sub Nerone Imperatore,
ermani Frisonibus imperabant. Ergo tunc
xpulsi erant Dani, qui nunquam inter Ger-
anos computantur. Per quæ tempora Stra-
o narrat à Druso Nerone Augusti priuigno,
estam esse rem, nauali prælio in Amaso flu-
io contra Bructeros & Cauchos. Itaque pro-
atur prædicta authoritate, quod Frisones
on semper & continuo, ante tempora Ca-
oli Magni, aut Germanis, aut Danis subiecti
uerint regibus, vt multi falso existimant,
uod denotat hoc aduerbium, cum dicit Ta-
itus; In qua tum Germani regnabãt. Si enim
risones semper & continuo sub Danica vel
ermanica fuissent seruitute, non opus fuis-
et addere, Tum, sed satis fuisset dixisse, In
ua Germani regnabant, omisso aduerbio,
Tum. Firmum ergo & indubitatum vide-
ur, quod supra posui, videlicet Frisones an-
e tempora Caroli Magni, sicut etiam postea

& in

& in præsentem vſque diem, aliquando etiã alijs paruiſſe nationibus, vel ab ijs vi oppreſſos, & ſubactos vel illos ſponte & vltro eligẽtes, ſe eorum ſubieciſſe imperio. Deinde iterum odio ſeruitutis, vel amore libertatis, pulſis extraneis, propriam per ſuos Reges & Judices gubernaſſe terram.

CAPVT VI.

ERat eodem tempore in Friſia vir quidã robuſtus ac ſtrenuus Athleta, nomine Hiddo, inter ſuos fama illuſtris ex terra Harlingica, ſiue partibus Harlingiæ natus, qui cum à Rege Friſiæ (propter æmulationẽ aut rebellionem fortaſſis) ad ignotas terrarum partes, proſcripti titulo in exilium eſſet relegatus, ad ducẽ Brunſvvicenſem cõfugit, eligens potius honeſtam exilij cõditionem, quàm in patria ſeruitutem turpitudini conjunctam ſuſtinere. Ibiq; de infelici ſuarum rerum ſtatu conqueſtus, quod patriam relinquere cogeretur, ſe in numerum minimorũ ſeruorum ſuorum aſſcribi ſupplicauit. Dux verò videns eius fortitudinem, corporiſque virtutem, ipſum creauit ſuarum ſyluarum præfectum. Itaque paucis diebus euolutis, quum is exercendi corporis, vel recreandi animi gratia, ſolus ſyluam quãdam, vaſtamque ſolitudinem venatione complexus ac peruagatus eſſet, forte fortuna in latibulo

quedam

quodam reperit catulos leonis, quatuor ibidem paulo ante natos, cum matre leæna vberibus eos lactãte. Is verò ignarus qualia essent fera animalia, vtpote à Frisone nunquam visa lupos fuisse arbitrabatur, clauaque munitus matrem catulorum rugientem ac ferocientem aggressus est. Leæna verò non tam fame vrgente, quàm captu & raptu catulorum suorum anxia, in ipsum veloci saltu irruit, dictus Hiddo agilitate corporis sui, rapidum sæuientis leænę morsum, primo paululum declinans, mox ense suo præcordia leænę ita lacerauit, vt e uestigio viribus & vita destituta occumberet, felicemque periculosæ pugnæ exitum Friso habuit, qua occisa, pullos in sinu suo positos detulit Duci nutriendos, dicens: Domine, habes hic quatuor iuuenes lupos, quorum matrem claua occidi, & catellos ad te deferre non distuli. Cuius simplicitatem coniunctam cum animositate & fortitudine Dux miratus, cognouit in eo homine, supra communem hominum virtutem & fortitudinem esse, ita vt corporis magnitudini, virium acrimonia, roburq; & animi fortitudo responderet, præcepit eũ in primum atque proximum militiæ gradum conscribi, deditque ei iuxta Albim fluuium agros & possessiones, terras, & villas vacuas, & eum equestri decorauit honore, sperans istius viri ope, industria ac armis,
quauis

quauis vrgente neceſſitate vti poſſe, & vni-
uerſam Friſiam eius fortitudine occupare.
Proinde clarios in arduis negotijs indies eua-
dens, honore & opibus auctus eſt, inque eo
loco, dictus Hiddo arcem conſtruxit firmiſ-
ſimam, quam ſuo nomine vocauit agrum
Hiddonis, vbi Friſij circa Viſurgum & Al-
bim habitantes, in hodiernum diem ad agru
Hiddonis appellant, & cauſas appellationis
dirimunt & proſequuntur. Viguit in eo ho-
mine deinde tanta militaris claritas, vt vbi-
que in Ducatu Brunſvvicenſi, ob inſignem
eius fortitudinem, formidabilis haberetur.
Hæc ex antiquorum relatione, & annalibus
Friſiæ adducta ſunt. Quo fere tempore (vt
inquit Saxo Gramaticus lib. 8.) floruit Vb-
bo Friſicus, promptiſſimus Haraldi miles, ac
præ alijs habitu corporis inſignis, præter vn-
decim quos in acie vulnerauerat, viginti-
quinque delectorum pugilum interfecit. Hi
omnes ſanguine fuere Sueci aut Gothi, de-
inde primam aggreſſus aciem in conſertiſſi-
mos hoſtes inſiluit, palanteſque metu hac il-
lac haſta gladioque diſpulit. Et iam fere res
in Friſiam ceſſerat, cum Hadger Rolder, &
Greter ęmulatione virtutis athletam adorti,
publicam perniciem, priuato redimere peri-
culo ſtatuerunt. Verum cominus inſtare ve-
riti, ſpicuſis agendum procul curabant, ſic-
que crebreſcentibus iaculis eminus Vbbo cō-
fodi-

foditur, nemine propius cum eo manum cóferre præsumente. Centum quadraginta quatuor sagittæ prius pectus præliantis obsederant, quàm lapsis viribus corporis, solo poplites daret. Hæc ille.

CAPVT VII.

POst quædam annorum curricula multæ Barbaræ nationes armipotétes egressæ sunt per Europam, ac Regna ac prouincias acerrimè infestabant, strage & tyrannide plurima subiugarunt, vtpote Slaui, qui VVilti dicebantur, expulsis habitatoribus Hollandiam occuparunt, qui agrestis VViltorumpopulus, post euersionem vrbis Anthoninæ castrum munitissimum fabricauerunt, quod ex eiusdem dirę gentis cognominatione VViltenburg nomen accepit. Post longa verò tempora VVilti cum Frisonibus conspirauerunt, Rheni gurgites transierunt, ac manu forti totam Galliam expugnauerũt. Valentianus autem, vt Romana dicit historia, expulsus à Iulio Cæsare Augusto, tumultum tam insolentis plebis festina relatione percipiens, comparuit contra eos valentem exercitum, accelerauitque sibi rebellantem disturbare populum. Et ecce Christianus Imperator, rebellè vulgus victoriose subegit, classem magnam apprehendit, Rheni fluenta transcendit, castrum Viltonum euertit,

Frisiam subiecit, & exercitum cum triumphali laude reduxit, Frisijsque per aliquot annos gloriosius imperauit. Dehinc Lotharius rex Franciæ, anno Christi 589. intulit bellum Frisijs grauissimum, ac tributum pendere coëgit. In quo bello Beroaldus rex Frisiæ à Lothario pro libertate superatus ac prælio victus, occubuit. Deinde ad aliquot annos imperante Heraclio Cæsare, S. Dagobertus orientalis Franciæ rex, Hollandiam & Frisiam suæ ditioni tempore transponés, anno Domini 641. castrum ibi nouum fabricari & reædificari fecit, quod latina lingua Traiectum nominatur. Nam omnis ibi negotiatio mercatoria traijciebatur per telonium Castellani Traiectensis, quæ ex mari per Rhenum vehebatur, vti lib. 1. cap. 4. latius dictum est. Vbi primordialis Ecclesia S. Thomæ venerabilis Apostoli constructa fuit, pro conuersione Frisingensis populi: sed Frisones duræ ceruicis populus fidem Catholicã à suis finibus exterminare cupientes, lapidauerunt primitiuæ fundationis fidei Christianæ præconem, & Ecclesiam extirparunt, totamque Hollandiam duris incursionibus infestarunt. In quo loco prope ruinam illius Ecclesiæ S. Thomæ, anno à natiuitate domini 655. memoratus Rex Franciæ superædificauit in honorem S. Crucis oratorium, in quo renatiui fontis consecrari fecit Baptisterium,

rium,

rium, vt Christiani fideles ob defensionem Castellani Traiectensis, tutum haberent accessum & recessum, ad recipiendum sacri baptismatis sacramentum. Sanctus autem VVilfridus Eboracensis Episcopus, anno domini 677. Romam iturus, nauem cum ascendisset, flante Fauonio pulsus est in Frisiam, & honorificè susceptus est à barbaris, simul & à rege Aldigildo patre Radbodi, prædicabatque omnibus per totam hyemem Christum, & aliquos verbo veritatis instruens, à peccatorum suorum sordibus, fonte salutari abluit. Et ipse VVilfridus sic primus omnium, fidem Christianam Frisijs prædicauit.

CAPVT VIII.

DEinde interiecto tempore Dagobertus secundus Rex Francorum, adhuc Regni gubernaculum sub tutela Theudoaldi (aut vt alij dicunt) Grimoaldi, suscipiens, non contentus suis viribus, Radbodū Frisiæ Regem sibi belli socium contra Pipinum Brabantiæ ducem adiunxit. Et quum Pipinius Dux, Coloniæ in Castro, quod dicitur Capitolium, vbi nunc est Ecclesia S. Mariæ, habitaret, inter multa bella, quæ gessit tiam anno 692. coacto magno exercitu, bellum Frisijs intulit grauissimum. Contra quē Radbodus rex Frisiæ, cum innumeris Frisonibus progressus, Deo disponente, victus:

Traiecto fugatus & ſuperatus ad inſulam Fo-
ſtelandiam ad Albim ſitam, confugit, quæ
inſula à quodam ſuo idolo Foſta, Foſtlandi
appellata, nunc materna noſtra lingua Hyl-
gerlandt nominatur. In qua inſula ad veram
fidem & ſanctiſſimam Chriſti religionẽ am-
plectandam S. VVillebrordus presbyter, cu
ſuis diſcipulis à prædicto Pipino deſtinatus
vt ſua prædicatione Radbodum Regem ad
baptiſmi gratiam reduceret. Morabatur au-
tem Radbodus Rex eo tempore in dicta in-
ſula Foſtelandt, quæ illi valde ſolemnis erat
propter ſuperſtitioſam Idolatrię ſectam; vbi
ſacerdos Dei VVillebrordus, prophana de-
lubra Iouis & Veſtæ deſtruxit, & tres Friſo-
nes ſathanæ pompis abrenunciantes, baptiza-
uit. Sed cum Radbodus nequaquam ab ido-
lorum cultura deſiſteret, & audiens idol
ſua deſtructa à Chriſtianis, iratus eſt valde
atque iniurias ſuorum deorum vlciſci volẽ
S. Vigbertum, quem dudum Chriſtianum
eſſe nouerat, & præterea alium de ſocijs ſan-
ctorum, diro tormento iugulari iuſſit. Di-
ctus verò VVillebrordus perpendens, quod
in lucrandis animabus, propter tyrannidem
Radbodi parum proficeret, adijt occidenta-
les Friſiæ partes, & nouellæ conuerſionis ca-
techuminos in fide Catholica roborauit.
Reuerſus itaque ad caſtrum Traiectenſe
(quod fugato Rege Radbodo, tunc tempo-
ri

tis in potestate Frācorum orientalium erat) ruinas collapsę Ecclesiæ S. Thomæ (vt supra dictum est) reædificauit, & in fundo Basilicæ S. Thomę prope castrum Traiectense, Canonicorum Cœnobitalium, construxit Ecclesiam, in qua Cathedralem sedem stabiliri iussit, & eandem per primitiuam benedictionem sua propria manu consecrauit. Considerantes deinde præfati sancti prædicatores, quod messis illa Euangelica nimis magna esset, operarij verò pauci, in Frisiam venerūt, more Apostolorum Christi bini ac bini, adiunctis sibi aliquibus neophytis, in diuersos pagos Frisiæ, proficiscentes. Itaque Pipinus totas animi vires ad augendam propagandamq́ue Christi fidem accomodauit, ne vinea Dominica necessarijs cultoribus destituta, aresceret, præcipiens paganis sibi subditis, authoritate Regia, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ inferret. Insuper & multis eos (qui fidem Christi suscipere vellent) beneficijs extollebat: vnde etiam factum est opitulante diuina gratia, vt multos paganos breui temporis spatio, sua prædicatione ab idolatria ad fidem Christi conuerterēt. Quo peracto S. VVillebrordus à dicto Pipino Romam ad Sergium Papam missus est postulante, vt ab eo Episcopus consecraretur genti Frisiorum, qui ordinatus Romæ in Ecclesia S. Cecilię virginis in die natalis eiusdem vir-

ginis, anno incarnationis Dominicæ 696. Frisonum Episcopus.

Ipse Brabantinus princeps Dux Lotharienſis,
Primus erat maiorq; domus regni gladiator.
Ex Duce Rex primus, ſic tandem germinis huius.
Hic rex Francorum, partim quoque Lothariorum
Dux Romanorum fit Cæſar more ſuorum.

Pipino autem anno 714. mortuo, Franci & Friſones bellum contra Carolum Martellum Pipini filium, ex Plectrude pellice natum reſtaurant, atq; exemplo congentilium magna frequentia hoſtium fines ingreſsi, omnia cæde & incendio fœdauerunt. Dagobertus Franciæ Rex, exercitum vſque ad fluuium Moſam, contra dictum Carolum mouens, ex alia parte Radbodus Rex, cum Friſonibus contra eundem Carolum inſurgit, pugnaque valida commiſſa cum Friſonibus, Carolus graui damno afflictus, dilapſus eſt. Radbodus verò cuncta deuaſtans, peruenit menſe Iulio, anno incarnationis Domini 715. vſque Coloniam, ac deinde iunctis copijs, plurimum afflixerunt Brabantiam, donec tandem ſedem fixerunt in ea, & repentina irruptione, loca adiacentia, cædibus & rapinis depopulati ſint. Erant autem hi Friſij finitimi Oceani accolæ, reliquiæ gentium ſeptentrionalium, promiſcui cum Danis qui tandem à Carolo Martello deuicti pira-

ticam

ticam (quæ tunc iusti quæstus nomē habuit) aggreſsi, oræ maritimæ infeſti, Brabantiam continuo latrocinio adeo infeſtabant, vt ſub nullo alio hoſte tantum afflictaretur. Et pulſo ex Francia Grimoaldo, Franci principem palatij conſtituunt Radbodum Regem Friſiæ. Erat quippe Grimoaldus vir iuſtus & modeſtus, frater Regis Caroli Martelli, patre Pipino ex Itta legitima vxore prognatus, coniugem habens Theudoſuindam filiam Radbodi Regis Friſiæ, qui ægrotante Pipino genitore, dum ad viſitandum eum veniſſet, à Rangario Friſone gentili, Leodij peremptus eſt, ante altare S. Lamberti, orans. Radbodo autem ita ſublimato poſt omnia iſta mala, deſignata illi fuit Friſia, modo à ſua tyrannide ceſſaret, quod tamen non fecit, ſed multis malis Brabantiam affecit: quo facinore indignatus Carolus, anno ſequenti denuo contractis copijs, contra dictum Radbodum venit in prælium, ſed victus & fugatus à Radbodo, Carolus ſui exercitus graue conſequitur damnum.

CAPVT IX.

PRiuſquam igitur ſeriem hiſtoriæ proſequamur, operæpretium eſſe duxi, Genealogiam & originem Carolinorum hic bona venia lectoris inſerere. Anno igitur Domini quingenteſimo ſexageſimo, fuit in

Haſpengavven in Brabantia nobilis quidam princeps, ac multis virtutibus clarus, nomine Carolus Mannus. Hic Carolus Mannus princeps fuit inclytus, ex qua proſopia Caroli Magni proceſſit origo. Hic propter eximias ſuas virtutes, cognitus erat Regibus Francorum, qui cum in Brabantia, Haſpengavven pluſquam annis quinquaginta quinque gubernaſſet, mortuus eſt, relicto Pipino de laude filio hærede. Itaque Pipinus Carolimanni filius, factus eſt Dominus Brabantiæ, anno Domini 615. qui (vt in vita S. Gertrudis dicitur) cum B. Arnulpho, omnem populum inter Carbonarium, & fluuios Moſam & Moſellam, vſque ad Friſonum fines ſtrenuè gubernabat. Hunc igitur Lotharius Francorum rex, propter ſuas virtutes primum Brabantiæ & Auſtrię, ſiue minoris Lotharingiæ, quæ inter Rhenum atque Schaldam fluuios ſita eſt, Ducem fecit, deinde enſiferum ſuum, & palatij ſui primum principem, conſtituit. Hic Pipinus accepta vxore Itta, ſiue Ideburga filia Ducis Aquitaniæ, genuit ex ea filium Grimoaldum, & duas filias, Beggam ſcilicet, & Diuam Gertrudim virginem monialem. Mortuo verò Pipino, Ita vxor eius, ſe & ſua Deo deuouens Monaſterium Niuellenſe in Brabantia fundauit, eiq́; filiam ſuam virginem Gertrudim, Deo dignam præfecit. Begga verò filia eius, accepto viro

viro Angiſo, S. Arnulphi filio, genuit filium Pipinum de Harſtallo.

Begga Duciſſa fuit, genitrix & germinis huius,
Quæ fuit Angiſo, felici fœdere iuncta.

Pipinus igitur de Harſtallo, nepos Pipini ſupradicti ex eius filia, factus eſt tertius Dux Brabantiæ, & Lotharingiæ, qui idem eſt dictus Pipinus de Harſtallo, quia in loco illo Harſtallo dicto, ædificauit ſibi caſtrum & habitationem, duxit autem in vxorem Plectrudem, ex qua genuit Dragonem Ducē Campaniæ, & Grimoaldum maiorem domus Hildeberti Regis Francorum. Genuit deinde viuente legitima vxore Carolum Martellum filium ex Alpaide nobili concubina. Quare S. Lambertus Epiſcopus Tungrenſis, increpans eum, quod pellicem legitima vxore ſua adhuc viuente, ſuperinduxerat: excommunicauit eum, & à Dodone fratre Alpaidis interficitur. Hic glorioſiſſimus Princeps maior domus Regis Franciæ fuit, & Rege Franciæ nihil niſi nomine Regio retento, gubernationem totius Regni adminiſtrauit. Nam vt Sigebertus ſcribit à ſolita fortitudine & prudentia degenerātibus regibus, regni negotia atque potentiæ, per maiores domus diſponebantur: Regibus tantum ſolo nomine regnantibus, quibus moris erat regere quidem ſecundum genus, nihil tamen agere vel diſponere, quàm irrationabiliter

edere,bibere,domiq́ue morari. Kalendis verò Maij coram tota gente in publico loco se visendos præbebant,reliquos dies in ocio & voluptatibus terere,dona recipere,donaq́ue rependere,atque ad alium vsq; Maium permanere. Iste itaque est Pipinus, qui Frisijs, ac eorum regi Radbodo bella intulit, & vi eos non tam suæ ditioni quàm Christianæ religioni subiecit. Iste etiam S. VVillebrordum cum suis primo ad Frisios direxit, vt eos ad cognitionem veræ fidei prædicando perduceret, prout etiam inferius dicetur. Obijt verò Pipinus de Herstallo, gloriosus ille Princeps anno Domini 714. & Carolum Martellum filium suum ex Alpaide pellice natum,præferens legitimis filijs suis,reliquit omnium principatuum hæredem. Carolus itaque Martellus,illegitimus Pipini filius,factus est post patrem quartus Dux Brabantiæ,& maior domus Franciæ. Qui mox adepto principatu,existimans muneris esse Christiani principis infideles ad Dei cultum conuertere,& omnes gentes ad Christianam religionem perducere, haud infructuosè disposuit, & primo omnium cum Frisonibus congressus, deinde armis subiugat Saxones, deuincensq́ue Lanfredum Alemanorũ Ducem,Alemaniam sibi fecit tributariam. Sueuis quoque debellatis Endonem Aquitaniæ Ducem bello victum fugat,Aquitaniamq́ue

deua-

deuaſtat. poſt hæc Saracenis Galliam populantibus, Eccleſiasque Dei cremantibus, Carolus Dei fretus auxilio, armatus occurrit, & 375. milia cum eorum Rege peremit; numquam enim pugnabat, quin ſemper vinceret. Quibus crebris victorijs & meritis Franci permoti, obtulerunt ei coronam Regni Francorum. Sed renuens eam, ait, glorioſius eſſe Regem ſuperare, quàm Regem agere. Quum igitur hic bellicoſiſſimus Princeps vidiſſet aſſiduitate bellorũ, defeciſſe theſaurum Regni, res Eccleſiaſticas in decimas ſuis militibus conceſſit habendas, quamobrem in primis eius anima, poſt mortem in ſupplicijs inferni, à S. Euchario Aurelianenſi Epiſcopo viſa eſt detineri: pacato tandem ac Regni Francorum dilatato imperio, obijt victorioſiſſimus Princeps, atque corpus eius in Eccleſia S. Odulphi ſepultum, in cuius ſepulchro poſt annos aliquot, non corpus, ſed ingens repertus eſt vermis, & ſic ſolius huius Caroli Martelli, & patris eius Pipini de Harſtallo, labore & induſtria erga Deum, ſemper tum bellando, tum prædicatores quoq; mittendo Friſiam ad Chriſtum conuerterunt.

Ipſe Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat.
Malleus in mundo, ſpecialis victor vbiq; (*nit.*
Dux Dominusq́; Ducũ, Comitũ quoq; Rex fore ſper-
Non vult regnari, ſed Regulus imperat ipſe.

Huic Carolo Martello successit filius eius Pipinus cognomento paruus, propter staturæ pusillitatem, & factus est quintus Dux Brabantiæ. Qui cum esset maior domus Regis Franciæ, & Hildericus Francorum Rex esset vir ignauus & inutilis, nullisque rebus idoneus, atque nihil Regia solemnitate dignum præter Regis nomen possidens, miserunt proceres Franciæ, solemni legatione ad Zachariam Pontificem, consulturi quis potius Rex esse deberet, quique magnos pro regni pace labores sustineret, an qui ocio deditus tamquam statua domi resideret, & solo Regio contentus esset nomine. Quibus Papa respondit, illum debere regem appellari qui augeret Rempub. qua ratione animati Franci, Hilderico Rege abrogato, & in monasterium detruso, & tonsorato: elegerunt Pipinum, anno Domini 760. in Regem: postquam maiores domus cœperunt imperare super Reges Francorum. Atque authoritate Apostolica à Bonifacio Archiepiscopo Moguntinensi in Regem vngitur & consecratur, & Stephano S. Pontifice, generatio super filios suos Carolomannum & Carolum in hæreditatem Regalis succesionis benedicitur, regnauitque Pipinus, annos 18. Hic Longobardos Romanos infestantes, cum filio suo Rege Haystulpho vicit, & cum Romanis eos facere pacem compulit. Saxones quo-

qu

que poſt multam ſtragem ſibi ſubijciens, tributarios fecit. Tandem poſt multa prælia feliciter perpetrata Pipinus iſte ex Regalis aulæ præfecto in Regem (vt dictum eſt) ſublimatus, moritur anno Domini 768. & in Eccleſia S.Dionyſij ſepelitur. Carolus verò nó minus pro felicitate, quàm corporis magnitudine cognomento Magnus appellatus, Pipini Regis, ex Berta filia Eraclij Imperatoris, filius: factus eſt poſt patrem Rex Francorum, vnde ex ipſo genus Græcorum Romanorum & Germanorum concurrit, & ob id non immerito, ad ipſum poſtea eſt tranſlatum imperium. Erat enim Carolus Magnus, ſicut omnes patres eius ſuperius nominati, natione non Gallus (ſicuti quidam exiſtimant) ſed Germanus, natus in ciuitate Ingelheym ad ripam Rheni fluminis, in terra Rinconenſi ſita, quæ in præſentem vſque diem eſt ſub ditione Cæſareæ Maieſtatis. In qua etiam olim vetuſtum ac ruinoſum fuit caſtrum, in quo natus eſt Carolus Magnus, quod poſtea Robertus Bauarus Romanorum Rex, & deinde Carolus quartus Imperator reparauerunt, ac multis ædificijs ornauerunt, fundaueruntque in eo Collegium Canonicorum Regularium, in perpetuam Caroli Magni memoriam. Hoc igitur vſi diuerticulo, de progenie Carolinorum extra materiam, non iniucunda commemoratione,

ne,

ne,dixiſſe ſufficiat. Nunc verò hiſtoriæ no-
ſtræ ordinem proſequamur.

CAPVT X.

SVb hoc rerum faſtigio non diu conſti-
tit Friſia, nam Carolus Martellus aulæ
præfectus, vt dictum eſt, maiorque do-
mus Franciæ, à quo maiores Regni cauſæ, at-
que ardua negotia quæque pendebant, iniu-
riam ſibi à Radbodo Rege Friſiorum illa-
tam, ſtatuit vindicare, quare denuo magno
exercitu collecto, animum conuertit ad Fri-
ſones bello perſequendos, qui eo tempore
inſeruiebant idolis inſenſatis, & Chriſtiano
nomini infeſtiſſimi, ſub malorum dæmonum
mancipio, innumeris ſuperſtitionibus illu-
debantur. Radbodus itidem ſuperiori victo-
ria elatus, congregauit Friſiorum magnum
exercitum, vt irrumperet & vaſtaret terram
orientalem Francorum, ſcilicet Brabantiam
& Lotharingiam. Cui Carolus Martellus, vt
bellicoſiſſimus & peritus Princeps, occurrit
& diro cum Radbodo gentis eius Rege, ad
flumen Bardoram commiſſo prælio, hoſtem
falſa Deorum religione deceptum fudit, fu-
gauitque: Ac interfecto Poppone primario
Duce eorum plurimiſque Friſonibus occi-
ſis, Regem Radbodum denuo Traiecto ex-
pulit. Qui tandem ſe ſuaque omnia poteſta-
ti Caroli iterato permiſit, falſiſq; à dijs poſt
haben-

abendis Christianam fidem absque dolo
mplecti,idola abiurare, sacrumq; baptisma
uscipere, obsides dare, & tributum quin-
entorum boum coria(vt Crantzius scribit,
recentorum caballorum) annuatim ei sol-
ere promisit. Itaq; à Carolo ad ipsum mis-
us S.VVolfrānus Episcopus Senonensis, vir
pius ac religiosus,qui diuino oraculo in som-
nis admonitus, vt in Frisiam tenderet,& Re-
gem Radbodum suo suasu, & adhortatione
ad fidem Catholicam diligenter instrueret,
& vt Christianam assumeret fidem, admo-
neret.Qui cum in Frisiam venisset, fuit tum
temporis, Frisijs solemne festum conuentu
omnium Zelandiarum alternis vicibus, fœ-
da superis libamenta persoluere, siquidem
humani generis hostias mactare aggressi, in-
ter se sortem mittebant,& quem sors immo-
landum obtulerat, hunc mactando immo-
lerent,pro victima: hoc modo, vt prius de
arbore suspenderetur, deinde idolis immo-
laretur. Cecidit fortè eo tempore sors super
Onnam præstantissimæ indolis adolescen-
tem nobilem, qui cum hostiarum more, ne-
pharia litatione mactandus aræ admouere-
tur,ibiq; peractis cæremonijs solito more li-
bamina dijs suis offerret,occurrit ei S.VVol-
frannus, ac ab horrendo incepto Regē auer-
tere,sperans, scelerati propositi sacrilegium
detestatus,vitam ipsius adolescentis depre-
caba-

cabatur, ſed humanitatem vicit dira ſuper-
ſtitio, negabat hoc ei Radbodus, dicẽs ſe mo-
re maiorum ſuorum ſacrum ritè peracturũ,
cum ſors ſuper eum ceciderit, itaque adora-
tis patrijs numinibus, iuſſo lictore, vt in ſca-
lis conſtitueretur, & mortem homini acce-
leraret: ſi autem ille quem VVolfrannus præ-
dicaret, ipſum præſeruare poſſet, liber eſſet.
Itaque VVolfrannus videns Regem pertina-
cem permanere in ſua ſententia, neque Om-
nam viuum ſaluari poſſe, ingemiſcens, vtri-
que brachijs expanſis, ſe ante Regis pedes
proſtrauit, ab alto ducens ſuſpiria, manibus
in cælum ſublatis, pro adoleſcente orans, illi-
co cunctis aſtantibus & videntibus ruptus eſt
funis: At ille humi illæſus collapſus, à morti
diſcrimine ereptus, fidem Chriſti ſuſcepit,
& baptiſmate renatus, à dicto VVolfranno
ad ſacros ordines promotus eſt, & in Mona-
ſterio Fontanellæ initiatus, vbi & doctrina
& ſanctitate clarus effulſit. Quod animad-
uertens Rex, miraculi nouitate attonitus
à S. VVolfranno baptizari petijt. Et factum
eſt dum Rex Radbodus ad baptiſmi lauacrũ
ſimulata deuotione perduceretur, altero tan-
tum pede immerſo quærebat, quónam con-
ceſſiſſent patres eius, pluréſve maiores ſui
Friſones in inferno, an in Paradiſo cohabi-
tarent? reſponſum accepit, omnes à Chriſto
alienos in perditionem abijſſe, itaque plures
eſſe

iſſe in inferno, tandem ſubito pede è Baptiſterio educto, Satius (inquit) plures ſequar meos paganos, quàm paucos Chriſtianos, ibo quò maiorum meorum cœtus demigrauit; & relicta Chriſti fide, ad priſtinam ſe conuertit ſuperſtitionem. Sed cum exhauſtis regni opibus aſſiduitate bellorum, inopia laboraret pecuniæ, prælijſque varijs Zelandiarũ exhauſerat ærarium, atque multos annos congeſto theſauro, bellicis operibus abſumpto, ſtipendiariorum facultatem, qua militem aleret, non haberet, vt Carolo, aut eius exercitibus par eſſe poſſit, à Carolo Friſia pulſus, fuga præcurrere maturauit in Phoeſtelandt. Sed non diu lætatus hoc contemptu, tertia die febri correptus, aut, vt nonnulli volunt, ex mœrore animi, in mortiferum cecidiſſe languorem, ſtatim deficientibus membris, magnis cruciatibus, non ſine ſingulari Dei vindicta pœnã impietatis dedit, atque anno Chriſti 719. (vt teſtatur Ado Viennenſis Epiſcopus, in ſua Chronica abbreuiata ętatis 6.) digna morte in inſula Phoeſtelandt expirauit. Vnde quidam in ipſum tale diſtichon exclamans, ait:

O iocus, ô dirum, tibi formidabile ſemper
Elogium, Radbode tuum poſt triſtia fata.

Reliquit autem hic Radbodus Friſiorum Rex poſt ſe filiam Sindacillam, quæ nuptui data VVigberto Duci Angariæ, Chriſtiani nomi-

nominis amantiſſimo, & aliam nomine Teu-
doſvvindam, quæ nuptui data Grimoaldo
filio Pipini, qui (vt dictum eſt) Leodij à Ran-
gatio Friſone peremptus eſt: vnde facile
conijcitur, non vile fuiſſe nomen Radbodi,
cuius affinitates, Reges & Duces quæritabãt.
Filios autem habuit duos, Melgerum & Ad-
gildum, qui Chriſti fidem ex animo ſuſcepe-
runt, & baptiſmate renati ſunt. Adgildus ve-
rò ſub homagio Caroli Martelli Rex Friſior-
permanſit, relinquẽs poſt ſe filios duos Gun-
debaldum & Radbodum, quorum natu ma-
ior Gundebaldus penultimus Rex Friſiæ
Carolo Magno fuit amiciſſimus, & ſub eius
exercitu, in Hiſpanijs pro fide Chriſti mili-
tans, cum Rolando, anno ſalutis 770. in Ron-
ceuallo, occubuit. Radbodus verò frater iu-
nior, vt quidam putant, dominium obtinuit
in Egmonda, neque vnquam Regis titulum
vſurpauit. Quorum tamen opinio, actis ipſis
refellitur, quæ proponentur infra ſub Pipi-
no & Carolo Magno cap. 13. quoniam quę il-
lic dicuntur, non de Radbodo primo, ſed de
ſecundo intelligi debere perſonarum & tem-
porum ratio cõuincit. Ex cuius progenie ori-
ginem ducunt, nobiles Comites de Egmon-
da. Sanctus autem VVolfrannus pertinaciſ-
ſimum Regis prędicti animum conſpicatus,
mentem à Chriſti fide propaganda, interim
non mutauit, ſed per annos quinque per Fri-
ſiam

iam discurrens, semen verbi Dei spargens, sine vllo obstaculo, multos conuertit ad Christum, Catechumenos baptizauit, neophytos confirmauit, atque plurima templa & sacra loca ab ipso eximia, in Deum & diuinum cultum pietate constructa, dotauit & consecrauit. Qui tandem post multiplices labores, & continua sanctimoniæ studia, reuersus ad Fontanellæ Monasterium, felicem spiritum Deo commendauit Obijt 3. Kalẽd. Aprilis, anno Domini 720. In hoc loco variant nonnihil scriptores, & parum dissentiunt de morte Radbodi Regis Frisiæ. Nam aliqui tradunt Radbodum mortuum circa annum Christi 715. temporibus Anastasij Imperatoris, qui & Artemius dictus, dum oriẽtis potiretur Imperio, vt refert Sabellicus lib. 7. Alij referunt hoc accidisse anno 719. vt Ado Viennensis Episcopus, quod discutiendum relinquimus candido lectori.

CAPVT XI.

QVomodo autem Radbodus Rex à diabolo fuerit deceptus, narrauit prædictus Onno, quod diabolus apparuit Radbodo in somnis, in angelum lucis transfiguratus, capite cooperto diademate aureo. In quem cum Radbodus intenderet, dixit ad eum diabolus: Virorum fortissime, quis te ita seduxit, vt à cultu Dei tui velis recede-

re? Permane in his, quæ à iuuentute didicisti & venies ad domos aureas, quas tibi in æternum ſum daturus, cras ergo accerſi iubeas doctorem Chriſtianorum VVolfrannum, & ab illo quære, quæ ſit illa manſio, quam ille tibi pollicetur, & ſi tum demonſtrare nequierit vtriuſque partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demonſtrabo illis domum auream, & manſionem pulcherrimam, quam in proximo tibi ſum daturus. Euigilans Radbodus narrauit cuncta S. VVolfranno, qui dixit: Illuſor (ô Rex) diabolus tibi illudit. Reſpondit Rex ſe Chriſtianū futurum, niſi illa pulchra manſio demonſtraretur à Deo ſuo. Mittitur ergo ſtatim quidam Friſo ex parte Regis, & quidam Diaconus ex parte VVolfranni Epiſcopi, qui, iniuncti muneris obſequium non detrectantes, cum haud procul à Regis aula abeſſent, obuiam habuerunt quendam itineris ſui comitem, eius loci gnarum, qui dixit eis, Properate, ego oſtendam vobis pulcherrimam manſionem, Radbodo Regi præparatam: illi autem profectionem orſi (ſi Annalibus credere fas eſt) velocitate greſſus tantum locorum diali itinere emēſi, ad loca ignota peruenerunt, videruntque à longinquo domum quaſi auream, & peruenerunt ad plateam, quæ ante domum erat, quaſi auro & gemmis ſtrata, intrantesque domum, viderunt illam miræ pulchritudinis, & ſplen-

c ſplendoris incredibilis , atque in ea thro-
um miræ altitudinis & magnitudinis. Tũc
uctor itineris , ſeductis ſocijs ait : Hæc eſt
manſio Radbodo Regi præparata. Ad hæc
Diaconus, loci ſpecie delectatus, ait: Si à Deo
cta ſunt iſta, perpetuò maneant : ſi autem à
iabolo , citò pereant. Et cum ſignaret ſe ſi-
no ſanctæ Crucis, euanuit ex oculis eius dia
olus , & domus aurea in lutum mutata eſt,
abantque Diaconus & Friſo legati , in me-
io locorum paluſtrium, plena iuncis & vir-
ultis , mortalibus pene inuio. Qui triduo
nmenſi itineris ſpacium emenſi , reuerſi
nt ad Oppidum, & inuenerunt Regẽ Rad-
odum mortuum, narraueruntque quæ con
gerant S. VVolfranno. Fabuloſam autem,
à veri fide penitus alienam, & à vulgo con-
ctam, hanc eſſe opinionem ſuſpicantur ali-
ui ; quamuis conſtet Friſiam hoc tempore
rijs diaboli laqueis, falſa credulitate ludi-
catam , vt ad cultus ſibi gratos , pagana ſu-
erſtitione eos ſeduceret, & à Chriſto auer-
ret. Erat autem Radbodus vir bellicoſus
inquietus, ex Regia familia Friſonum or-
s, magnitudine corporis conſpicuus, tanta
oceritate omnes excellens , vt ab humero
rſum emineret, ipſo membrorum robore
agnitudini reſpondent, virtute inter om-
s Friſios clarus , ocij & inertiæ impatiens,
iteratus , & ſolo idiomate patrio conten-

tus, linguas peregrinas diſcendi non ſtudio-
ſus, ſed Gallicam melius intelligens, quam
pronuncians, ſagax admodum, & ingenio
acer, in Chriſtianos valde impius fuit & cru-
delis, ſeueritatiſque immẽſæ, capite craſſo, &
ampla facie, oculis prægrandibus & vegetis
nulla acri ſeueritate formidabilis, duobusq;
dentibus aliquanto eminentibus extra ordi-
nem, gerebat crines prolixos vſque ad hu-
meros, vtrinque à fronte diſcriminatos, &
aliquantulum criſpatos, ab adoleſcentia im-
berbis, aut vt alij volunt, circulariter ſemper
ſe tonderi fecit, habitu inceſſit Friſonico, in-
ſignia habebat vndecim humana corda ru-
bea, in ſcuto ceruleo obliquis trabibus, à ſe in
ſuo clypeo diſtinctis, colore candido. Filius
autem Radbodi Melgerus, ſubita morte pa-
tris territus, fidem Chriſti ſuſcipiens bapti-
zatus eſt, & exiſtens adhuc in albis expirauit.
Alter autem filius Aldigildus, vt præcedenti
capitulo dictum eſt, in Regno ſucceſſit, & ex
animo fidem Chriſti ſuſcipiens, baptiſmate
renatus eſt.

CAPVT XII.

SEd non diu in eo animi propoſito per-
ſtiterunt Friſij, neque à pertinacia ani-
morum vllo modo reuocari poterant:
ſiquidem ſacra Chriſti fides, in populo non
bene formato, malè audiebat, & videbantur
mag-

magis recuperandæ libertatis, quàm seruandæ fidei, rationem habere, putantes fidem Christianam grauia & impossibilia continere, atque ob id denuo ruptis habenis, à Carolo Martello defecerunt, & Christianissimum institutum reiecerunt. Itaque circiter annũ Christi 725. per Aquitanicum sinum classe euectus, conuersus est in eos Carolus, atque magno bello non quidem vno prælio, & anno; sed iterum atque iterum pressit, insulasque eorum diripuit, cędem edidit insignem, non sexus, non ætatis habita est ratio. Deorũ statuas, & lucos subuertit, templaque impietatis ferro & igni deuastauit, noua templa, & loca sacra extruxit, & delubra vetustate labentia in Christi phana conuertit, & liberaliter ornauit, & magnificè dotauit, vt iustè in eius laudem illud exclamari possit, quod de Augusto Cæsare canitur:

Templorum postor, templorum sancte repostor.

Ac tandem Frisios ita coarctauit, vt manus victas, victori darent, plurimique sacrũ subiere baptisma, componentes cum illo qualibuscumque conditionibus, sed leges Christianas ægrè admodum accipere volebant. Tenebant tunc temporis Frisones ex continenti Ammiam, Strachiam, Astrachiã insulas circa Rheni ostia, in quibus vxores, liberosque corporis charissima pignora, qui per ætatem militare non poterant, tanquam

in tuto collocauerant. Martello autem mortuo. Frisij nomini Christiano infestissimi, rebellionem denuo parabant, vnde Carolus Mannus filius Martelli totas ingenij sui vires eò conuertit, quò possit Frisios bello domare, & ad Christi fidem cogere. Itaque milite prævalido collecto, in eos duxit potentissimum exercitum atque pugna cruenta, ita eos perdomuit, vt Christi religionem denuo susciperent, datis etiam obsidibus, quod in fide Christi & Regis permanerent. Eo autem sub Zacharia pontifice Romæ monacho facto, & ad B. Benedicti Cassinense Monasterium accedente, Pipinus frater eius, filius Caroli Martelli iunior anno Christi 764. in Regno succesit. Sub quo Frisij etiam, qui erant baptizati, se denuo ad idola conuerterunt, & qui necdum baptizati alios secum rebellare, coegerunt. Ea enim fuit gentis istius pertinatia, vt ægrè posit sub iugum redigi, vel ad mutãdam religionem armis cogi, aut ab eo, quod semel animo conceperat, vlla lege, aut ratione dimoueri. Itaque Carolo Magno Pipini filio, etiam negotij plus satis exhibuerunt, ductu Radbodi, eius nominis secundi & vltimi Frisiorum Regis: quem tamen Carolus iusti exercitus conflictu debellauit, vel, vt aliqui tradunt, mirabili quodam certaminis genere superauit, & Frisia imperio exuit.

CAP

CAPVT XIII.

REperitur enim in quadã hiſtoria apud Friſones, haud ſcio quàm authentica (nam authorem eius non reperio,) patria lingua conſcripta, in hunc qui ſequitur modum: Gente Friſonica (inquit) non obtemperante, conſilio S. VVillebrordi hortantis vt ad imperium Pipini religionem Chriſti ſuſciperet, Carolus filius eius cognomento Magnus, ad Friſiam deſcendit, caſtroque VViltenborg capto, diruto, atq; deſtructo, Rex Radbodus eius nominis ſecundus Traiecto expulſus, ad partes Friſiæ fugiens ſe tranſtulit, quem Carolus inſequebatur ſtrenuè, ita vt eius manus effugere vix poſſe, videretur: qui mox vndecumque ſui Regni Friſiæ potentiam omnem contrahens, obuiam hoſti proceſſit, ac bellum contra Carolum, de rerum ſumma, qui ſe victorem putabat, inſtruxit: & dum acies ab vtraque parte in conſpectu ad certamen explicaretur, & inter ſe de regno contenderent, vnus nomine Baldericus, non cunctanter proceſſit inter medias acies, nuncians eis inſtantis belli pericula, & fratrum appellatione eis dignatus alloqui, in hunc modũ verba proponit: O vos viri fratres, domini & principes mei, quæ vos (inquit) dementia cœpit, cum ſitis ſapientes, vt nulla laceſſiti iniuria, vos veſtraque omnia pręſentiſſimo periculo

exponatis, & in discrimen proiiciatis totum exercitum, contra hanc innoxiam & inopem gentem, nullis insidiantem, suis rebus contentam, nulla bella, nisi graui iniuria lacessitam, moliri consuetam, nec aliena diripere conantem. Ne sitis adeo præcipites, vt vosmetipsos exponatis manifestis periculis. Qui enim bellum alijs inferre contendit, alterum è duobus sibi necessario eliget, aut enim per audaciam, aut per fortitudinem se pugnaturum, confidit: modestius ergo agatis, & gladios in vaginam vertatis, nec talibus bellum inferatis, & perpendatis incertam belli esse aleam, & præmia victorię manifestis damnis obnoxia, memores instabilis fortunæ, quæ non perpetuo illis fauet, quos extollit, ne fortassis si vnum vestrorum procerũ perire contingat, plus damni & incommodi ex eo sentiatis, quàm beneficium ex victoria prouenjens, etiamsi totam gentem Frisonicam debellassetis, quum in magnis exercitibus præclara virtus sæpè non emineat. Et cum fortes, cum fortibus congrediuntur, sæpe accidit vtrosq; pari infelicitate collabi, vtriq; enim vires, vtriq; belli artes suppetunt. Itaq; cõsulite vobis ipsis, arma vestra cõprimite, & potius eis amicis vtimini, neq; vosmetipsos infelici euentu fortunæ tam temerè exponatis, ne dum aliena occupare conamini, vita & proprijs bonis spoliemini. His dictis, vtraque

que acies rigore depoſito, concorditer id exequendum, bene & ſapienter locutum eſſe iuuenem acclamabant, inueniatur ergo melius & ſalubrius conſilium, vt paucorum impendio, plurimorum pericula redimantur, & à ſingulari certamine victoria conſtituatur. Hæcq́ue audientes Radbodus Rex & Carolus acquieuerunt, ſignoq́; dato, vterque exercitus à pugna ceſſauit, & ſingulare cœperunt certamen, ea lege & conditione, vt ſi Radbodus vincat, libera à Carolo eſſet Friſia, & vectigalium concedatur Friſijs immunitas. Si victor fuerit Carolus, ei ſubiecta Friſia eſſet, & tributa ei ſoluerētur. Et ſi quis hanc acceptare recuſaret conditionem, is pro victo & imbelli homine haberetur. Itaque tale duellum exſtitit ab ijs ordinatum, quod ſcilicet ipſi Principes Radbodus Rex & Carolus vno loco ſeſe ſiſterent, ſtando: & quicunque ipſorum alium vinceret diutius ſtādo, ita vt ad terram ſe non inclinaret, penes eum conſiſteret palma, & eſſe deberet Friſonicæ gentis dominus, ſicq́ue factum eſt, vt dum ambo paribus armis in campum, qui pugnæ deſtinatus erat, prodirent, circūmſtante vndique procerum ac virorum fortium corona, ſtandoq́ue certamen inchoatum eſſet, Carolo vna ſuarum chirotecarum de manu excidente, eam ſubleuauit Radbodus, & Carolo porrexit, qua recepta, prorupit Ca-

rolus in hanc vocem: Ha, ha, ha, hic se inclinauit ad terram, ex quo facta est tota gens Frisonica iure duelli mea. Rex verò Radbodus inopinato casu consternatus, in hanc vocem respondit: VVach, vvach, vvach, qui hanc terram & gentem tam viliter & improuidè perdidi, & patriam seruitutis iugo victus, inuolui. Vnde etiam & locus, in quo vtriusq; exercitus se continuit Hatringe & VVachtringe, in hodiernum diem nomen est sortitus. Rege autem Radbodo ex hac causa duello victo, Frisiamque derelinquente, Carolum pro domino totius gentis Frisonicæ agnoscunt Frisij, ac se ipsius, imperio subijciũt, quo eius ductu & imperio, diuino cultu paulatim institui, & à iugo seruitutis se liberari posse sperabant. Nec tamen omnino à iugo seruitutis voluit eos tam citò liberare Carolus, ne fortissima illa gens, quæ omnia præter ocium maluit, tamquam neophyti, sicut & erant consueta libertate gloriantes, abiecto subiectionis iugo ad priorem gentilitatis redirent errorem, & negotium aliquod Romano facescerent imperio. Itaque nouo rerum ordine ipse Carolus Episcopi loco fungens, vicos & villas circumiuit, idola omnia subuertit, & salutarem doctrinam Iesu Christi vbique disseminauit, nullis parcendo transgressoribus, præcepta legis diuinæ addiscere, & veris fidei Christianæ moribus instituen-

ſtituendis curauit, donec ad plenum in his aſſuefacti, omnium bonorum operum perfectione, fidem Chriſtianam, & Dei pręcepta ſeruando, non deſinerent inſeruire, & quidquid ad conſeruandum Chriſtianæ religionis ſtatum vtile videbatur, ſummo conatu præſtare curauit. Sicut & quondam Dominus Deus decem pręcepta in tabulis lapideis dedit filijs Iſrahel, & per Moyſem ſeruum ſuum eis expoſuit, vnde non immerito quaſi de quadam ſpeciali prærogatiua gloriantur Iudæi: ſic & Friſonica gens merito gloriatur, quum & ipſe Deus eorum iura, quibus in hunc diem plerique vtuntur, miſericorditer, & miraculoſe dignatus eſt eis reuelare. Hæc ille author hiſtoriæ ſupradictæ, & paulo poſt ſubiungit.

CAPVT XIIII.

CArolo igitur (inquit) poſt Radbodi Regis deceſſum in Friſia dominante, & loco ſibi empto vbi ſedem erigere poſſit, quum cerneret populum ſibi in omnibus obedire, inſtruxit eos præceptis diuinis, inſtitutisque virtutum, & abſterſa omni barbarie, effecit, vt non ſolum moribus inſtituti eſſent, ſed etiam iuſtitiam colerent, pacificique viuerent, ac pro tribunali ſedens, dixit eis, vt ſibi leges & iura conſtituerent, juxta quarum formam viuerent & regerentur.

tur. Qui responderunt, se omnino iura nescire, neque leges habere alias, quàm quæ vniuerso orbi satis erant, atque pro beneplacito voluntatis iuribus vsos fuisse: sic ergo Carolus septem diebus apud illos institit, vt iura quibus regerentur, eligerent, neque quicquã omisit, quod ad leges & iustitiæ promotionem videbatur pertinere. Et quum nullis honestis rationibus eos inducere possit, atq; constantius negatum, quàm petitum animaduerteret, dixit eis, aut iura & leges conderent, quibus viuerent, aut vnum ex tribus eligerent, in ore nempe gladij capite truncandos, aut viuos sepeliẽdos, aut in naui sine remis, & omnibus necessarijs victualibus carentibus ad mare mittendos fore, quò fluxus & refluxus eos deueherent permansuros, vbi fame aut inedia, pedoreque excruciati, extinguerentur. Compertum enim erat Carolo, mores Frisiorum eosdem esse, quos adhuc habent, videlicet vt rationibus bonis ducerentur, quum omnino nequeant etiam morte proposita compelli. Itaque inter eos communicato consilio, elegerunt ex his prædictis tribus vltimum, scilicet mitti in mare, more prædicto. Duodecim ergo ex primatibus Frisonum naui impositi, relicta patria, & amplissima familia, mari absque remis & anchoris sese committunt, atque exponunt. Et cum in summo rerum versarentur discrimi-

ne, neque modum, neque consilium, ad patriam reuertendi aut remeandi haberent, huc, illucque sursum deorsumque, quo fluctus maris eos verberaret, ferebantur, præsentemque viris intentant omnia mortem. Erat ex ijs quispiam nomine Asingha de familia VVideloma, qui se sæpius audiuisse dixit, quod Dominus Iesus Christus, (cuius fidem B. VVillebrordus eos seruare docuit) ianuis clausis, propter metum Iudæorum ad discipulos suos, cum esset sero vna sabbatorũ venisse, & eos in summa anxietate consolatos fuisse, sic & nos genibus flexis, adoremus ipsum, vt nos in hac nostra miseria dignetur consolari. Quis enim vnquam in eum sperauit, aut sperans inuocauit, & derelictus est? Genibus ergo flexis, inuocauerunt humili corde, pectore simplici, Deum, totaliter se diuinæ misericordiæ committentes, vt ijs, in tanto dolore & vitæ discrimine laborantibus, non deesset, & de media morte deduceret. Ecce visitauit eos Dominus ex alto, & velut excitatis à somno fluctuanti nauiculæ suæ imposuit gubernatorem, virum robustum sedentem in puppi nauis, & lignum ad instar axis ingeniis super humerum portantem, quod ad nauem applicauit, vt esset nauis gubernaculum, quo tamquam optimus nauclerus nauem rexit, & regendo gubernauit, eosque qui in ea erãt, felici & prospero mea-

tu, inter medias fluxuum procellas, securos ad terram deduxit. Cum itaque iam ad littus peruenissent, hic decimus tertius, qui eis diuinitus aduenerat, lignum axis, quo nauem rexerat, ad terram proiecit, vnde statim fons erupit, ex quo scaturiebant aquæ limpidissimæ & dulcissimæ, qua isti duodecim siti afflicti, opportuni liquoris beneficio recreati, circumsedebant, & erumpentes scatebras sitibundi passim ore captabant. Tum ille decimus tertius aduentitius socius, se eis adiungens, vnicuique ipsorum adeo similis erat, quod à nullo poterat discerni, & sic de condendis legibus, & institutis tractantes, ipse decimus tertius eos edocuit, & formam legis præscripsit. Nemo autem ipsorum interrogauit, quis nam esset ipse, aut vnde veniret, quo facto, ex eorũ oculis disparuit. Post hæc hi duodecim, superatis periculosis maris gurgitibus, non diu distulerunt ad Carolum accedere, qui putabat eos iam dudum miserabiliter submersos. Carolus verò eos diuina protegente & adiuuante gratia, mirabiliter reseruatos agnoscens, gauisus est valde, eosq; in amicitiam & gratiam suscipit. Ipsi verò tũ iura & salutares leges, quas ea ætas permisit, per eximiam Caroli industriam tam iustas atque humanas, rationique consonas promulgarunt, vt vix æquiores in medio latio statui potuissent, quas & ipse Carolus tam-

quam legifer de cælo missus, confirmauit, & eis seruare præcepit, sanctissimi Euangelij institutis conformes, & à bonis moribus non alienas, quæ in hodiernum vsque diem Frisonicæ gentis homines, cum gloria & commodo in Groningana Frisia seruant, & seruare non desinunt. Et quum in annalibus Frisonum hæc commemorentur, ego vt parum authentica non ausim affirmare: lectori tamẽ liberũ erit, quod velit suspicari: multa enim non scripta sunt, quæ tamen facta sunt. Eam itaque gentem sic perdomitam, vectigalibus onerauit, modico imposito tributo, magis in titulum imperij, quàm in præmium victoriæ. Putabat enim Carolus veram victoriam se assequutum, quum plus ex præclaris, magnificisque gestis, quàm ex sordidis tributorum diuitijs illustraretur.

CAPVT XV.

GErebatur per multos annos bellum inter Reges Francorum & Frisones. Tandem Radbodo mortuo, sub Carolo Magno filio Pipini, circa annum Christi 772. ad fidem Christi plenè persuasi, atque in ea confirmati, ad sacrum baptismatis sacramentum peruenerunt. Carolus enim Magnus celebratis VVormatiæ comitijs, constituit Saxones atque Frisones, aut religioni subijcere, aut omnino de terra delere. Tandemque

traiecit ingentes copias per Rhenum, totamque Frisiam peruagatus rebelles subegit, fugauitque contumaces, totisque se viribus animi & rerum, conuertit ad Frisonicum bellum peragendum, quo neq; atrocius vllum vnquam gessit: quia Frisones natura feroces & idolorum cultui dediti, ab eo quod semel apprehenderant nulla poterant vi dimoueri. Regis tamen Caroli Magni clementia eos deuicit, eaque conditione legem victis præscripsit, vt si pagana illa superstitione abiecta Christi fidem acceptarent, nec in vita, nec in bonis periclitarentur, alioquin nec vita, nec bonis deinceps potirentur. Et sic, gentem omni impietate abiecta, fidem Christi, quàm sæpius abiurauerant, assumere coëgit. Sane tanto diuinæ Religionis amplectendæ studio exarsit, vt exhortationis verba ad populum in Ecclesia ipse faceret.

CAPVT XVI.

CVm itaque Carolus Magnus contusam bello Germaniam non solum Christianismum sacra suscipere, sed etiam ditioni suæ parere compelleret, opposuit se huic Rex Daniæ Godefridus, qui & Gotricus, Radbodi supradicti Frisiorum Regis nepos. Cuius gratia ordinem temporis hic nominibus immutabimus, vt deinceps pacatiora proferamus. Hic enim anno Domini 808.

VI

vt ex annalibus rerum Francicarum diſcimus, vel à Friſijs quibuſdam, vt aliqui ſuſpicantur, in Chriſtiana Religione nondum ſatis confirmatis incitatus, vel, vt Saxo Grammaticus ait, vltro dominandi libidine ſtimulatus, finitimas Albiæ gentes adortus, Saxoniam ſuſceptum Caroli iugum cupidius amplexantem, ac Romana arma Danicis præferentem, ad priſtinum regni ſui titulum reuocare tentabat. Itaque in Abotritos primũ irruit, quos & maxima clade affecit, eo propoſito, vt his ſubactis in vlteriorem Friſiam procederet. Cui prouidè Carolus Magnus filium ſuum Pipinum, vt Saxo Grammaticus commemorat, ſeu Carolum, vt ſupradicti Francorum annales referunt, cum exercitu mox obiecit, qui Friſiorum & Epiſcopi Bremenſis iunctis auxilijs illum magna copiarum ſuarum parte multauit, & in Daniã refugere coëgit.

CAPVT XVII.

ELapſo biennio idem Godefridus recuperatis viribus expeditionem de integro ſuſcepit in Saxoniam, non Friſiæ tantum, ſed & vniuerſæ Germaniæ inhians. Itaque Imperator, vt annales eius habent, Aquiſgrani adhuc agens, & contra eum expeditionem meditans, initium accepit, claſſem ducentarum nauium de Nordmannia

Frisiam appulisse, cunctasque Frisiaco littor
adiacentes insulas esse vastatas, iamque exer
citum illum in continente esse, terrenaqu
prælia cum Frisonibus commisisse. Danos
que victores tributum victis imposuisse, a
vectigalis nomine centum libras argenti
Frisonibus iam esse solutas. Quod & reuer
ita erat: Qui nuncius adeo Imperatorem cõ
citauit, vt missis in omnes circumquaqu
regiones ad congregandum exercitum nun
cijs, ipse sine mora palatio exiens primò class
occurrere, deinde transmisso Rheno in lo
co, qui Lippenheim vocatur, copias quę non
dum conuenerant, statuit operiri, congrega
tisque tandem copijs celerrimè ad Araran
fluuium contendit, castrisque iuxta confluẽ
tem eius, quo Vnisere flumine coniungitur
positis, minarum Godefridi Regis præstola
tur euentum, nam Rex ille vanissima spe vi
ctoriæ inflatus, acie se cum Imperatore con
fligere velle iactabat. Sed dum Imperator i
memorato loco statiuam haberet, diuersa
rum rerum nuncij ad eum perferuntur: Nam
& classem, quæ Frisiam vastabat domum re
gressam, & Godefridum Regem à quodam
suo satellite interfectum nunciatur. Quan
quam sint qui scribant, eum interfectum esse
à proprio filio, cuius matrem alia superindu
cta pellice repudiauerat. Carolus certè audi
ta eius morte effuso gaudio exultauit, nihil
e

eo casu vnquam fortunæ suæ iocundius abuenisse confessus. A tributo autem quod Godefridus Frisijs imposuerat, idem Carolus eos postea liberauit, vt historię referunt. Cuius quidem tributi pensitandi modus qualis fuerit, vt fieri possit, hic paucis exponam verbis Saxoniæ Grammatici, qui lib. 8. Primum itaque (inquit) ducentorum quadraginta pedum longitudinem habentis ædificij structura disponitur, bissenis distincta spacijs, quorum quotlibet vicinorum pedum intercapedine tenderetur, prædictæ quantitatis summam totalis spacij dispendio reddente. In huius itaque ædis capite, Regio considente quæstore, sub extremam eius partem rotundus è regione clypeus exhibetur, Frisonibus igitur tributum daturis, mox erat singulos nummos, in huius scuti cauum conijcere, è quibus eos duntaxat in censum Regium ratio computantis eligeret, qui eminus exactoris aures, clarioris soni crepitaculo perstrinxisset. Quo euenit, vt id solum æs, quæstor in fiscum supputando colligeret, cuius casum remotiore auris iudicio persensisset, cuius vero obscurior sonus, citra computantis defecisset auditum, recipiebatur quidem in fiscum, sed nullum summæ pręstabat augmétum. Cum pluribus igitur nummorum iactibus, quæstorias aures nulla sensibili sonoritate pulsantibus, accidit, vt statam pro se stipem

pem erogaturi, multam interdum æris partem, inani pensione consumerent, vt nihil enixius quærere videretur quæstor, per inauditam & inusitatam crudelitatem, quàm totam Frisiam omni ære spoliatam, penitus denudare.

CAPVT XVIII.

FVerunt igitur ab eo tempore, quo ad fidem Christi semel perducti sunt, Frisij diuina cooperante gratia semper in Religione Christi fidelissimi, & omnibus modis Carolo amicissimi. Caroli enim militiã summa cum alacritate sectati, non minorem promptitudinẽ deinceps exhibuerunt propugnandæ illius Maiestati, quàm olim eidẽ oppugnandæ præstiterant. Itaq; eorum fideli ac militari fortitudine contra Lutgerum Ducem Saxoniæ vsus, Saxones rebelles deuicit, & insolentiam Ducis compescuit, viuumq́ue cepit, & abduxit. Consimiliter cum Romam Sarraceni occupassent sub Pontifice Leone quarto, qui tamen tertius numeratur, Imperator afflictæ vrbi subuenturus, exercitum ingentem ex diuersis prouincijs collegit, cui nequaquam defuerunt Frisij, vt ex Decretali apparebit, quod proponetur infra cap. 19. Quin imo, contra rebelles Romanos atq; Longobardos adfuerunt: qui magna affecerant summum Pontificẽ Leonem tertiũ

iniuria, ac contra Carolum aliquid moliri cœperunt, pulchram nauarũt Imperatori operam. Siquidem proceres & magnates Italiæ, coniuratione inita ſeſe, in libertatem aſſerere, & Carolum cum veniret armis repellere conſtituentes, memoratum Pontificem Roma expulerunt, & à ſede apoſtolica deturbarunt. Quare dictus Pontifex propenſum Caroli animum, erga Romanam Eccleſiam perſpectum habens, cum magno ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum & Prælatorũ numero confugit ad Carolum, tunc in Saxonia commorantem Padelbornæ, orans vt laboranti eccleſiæ ſuccurreret, opem & auxilium pro defenſione ſedis Apoſtolicæ pręberet, ac facile quod petijt, impetrauit. Quẽ Carolus venientem pro ſua atque illius dignitate comiter excepit, atque conſolatione plenum dimiſit ad vindictam in contumaces Romanos (præmiſſis Friſijs) protinus ſe maiori cum expeditione militari ſecuturum pollicetur. Itaque Duce S. Magno, agmineq; magno, & magnis itineribus contendunt in Italiam Friſij, atque proprijs ſtipendijs militantes, auxiliares ſeſe Carolo præbent, & ad prima ſemper ſigna pugnantes, prorumpunt ante alios, & acri pugna hoſte pulſo, mox Romanos eis occurrentes, ſuderunt, profligarunt, & ita proſtrauerunt, vt de Friſiorum aduentu non magnopere exultarent: zelo

enim tantæ expeditionis adeo erant inflammati, vt antea quam Carolus sequeretur cum exercitu, vi Romã ferro ac flamma inuaserint, Ecclesiæ hostes submouerint, & Romanos armis eò adegerint, vt Pontificem in suam sedem receperint. Vrbe iam capta & superata Romam Carolus petijt: Leo Pontifex Maximus venienti occurrit, & cum Episcopis & Clero eum honorificè excepit. Quod factum Annales referunt octauo Kalend. Decembris, anno 800. post septem verò dies Rex concione vocata cur Romam venisset, omnib⁹ patefecit, & exinde quotidie ijs propter quæ venerat facienda, operam impendit. Ipse autem cum die sacratissima natalis Domini ad Missarum solemnia Basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari vbi ad orationem se inclinaret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante Carolo Augusto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Quocirca Frisonum præclaris hîc & fortibus factis summopere delectatus Imperator Frisones libertate donauit, & nobilitauit, multisque priuilegijs & immunitatibus insigniuit, & à Danorum intolerabili tributo, inconsuetoque vectigali immunes reddidit, aureosque gestare torques, & insignia fere omnibus deinceps nascituris Frisonibus concessit.

cessit. Quare Frisij victricibus signis domum proficiscentes, Coloniæ portam vnam, & Aquisgrani palatium benè ornatum construxisse feruntur. Quod in testimonium antiquitatis in hodiernum diem Frisiorum palatium & porta Frisiorum nuncupatur, & in Frisiam redeuntes excitatis coram omni populo literis & priuilegijs Caroli Magni, (de quibus infra cap. 20. agetur,) rei gestæ seriem omnibus exponunt, amissis non paucis strenuis viris, qui in ea expeditione occubuerũt, & inprimis primario Duce eorum S. Magno, qui pro defensione fidei Christianæ, & sedis Apostolicæ in Italia fortiter occubuit, prout Romæ in Ecclesia Michaelis Archangeli, quę est in Ianiculo ad occidentem Hospitalis S. Spiritus eleganti elogio inuenitur, temporibus Caroli Magni parieti templi insculptũ, cuius copiam hic ad fidem antiquitatis de verbo ad verbum inserere non inconueniẽs esse duxi.

CAPVT XIX.

ROmę ad Vaticanum in templo Michaelis Archangeli Maximum marmor album hanc habet inscriptionem.

In nomine domini, tẽpore Leonis Quarti Papę, imperante Carolo Magno imperatore, quo tempore S. Basilica à Saracenis capta fuerat, tunc deniq; pro totius mundi capite tur-

bato, totus mundus turbatus, omnis Gallia cum Rege Carolo, ad tuendam illam venerunt, vnde cōtra inimicos Domini, bella Domini decertando quidam mortui sunt, & in crypta iuxta Neronis palatiū ſepulti, eodemq́; tempore à Leone Papa & Rege Carolo ad honorem Michaelis archangeli ſuper illos facta eſt Eccleſia. His ita peractis Rex Apuliam abijt, eamque B. Petro & Romæ ſubiugauit. Per id tempus exercitu Galliam reuertente, tres illorum milites de Friſia, Elderado de Groninga, & Reomot de Stauera, & Hiaro, & Celdui ancilla Dei de Slinga, S. Magni corpus in loco, qui dicitur Fundi, inuenerūt. Quo inuento in illorum prouinciam portare, & condire decreuerunt: ſed diuina gratia cooperante, poſtquam ad Sutrinas partes venerunt, & amplius deferre nō pręualuerunt, quidam bis & ter territi, & per ſomnium moniti Romam reuertentes, ſanctum corpus ſecum tulerunt. Vnde factum eſt, quod illorum deuotionis cauſa, partem brachij à ſe ſegregari ab illis permiſit, partes autē cętерę in crypta pręfata remanſerunt, ſuper quā (ſicut dictum eſt) Eccleſia iam fuerat facta. Deinde omni anno ſimul beneficium optimum dari ibi decreuerunt, ſcilicet 300. marcas argenti pro illorum & vbique requieſcentium redemptione, & in perpetuum, ſiue diuites ſeu pauperes in eadem ſupradicta Archan-

gel.

geli Basilica & B. Magni Ecclesia iuxta eam ab ijsdem constructa Hospitali, quando à suis partibus venirent, agerent. Idcirco nostrorum aliorumque omnibus pateat: Si ipsi, vel quicunque hoc Decretum rumpere tentauerint, sciant se perpetuo damnatos & maledictos, & supradicti Pontificis anathematis vinculis in inferno, nisi resipuerint, cum diabolo conligatos, in hac autē vita miseros, pauperes & dispersos, & iterum de libro vitę cœlestis deletos, & de regno Christi deiectos. Confirmatoribus & fautoribus huius Decreti, &c. sit benedictio Christi, & fruantur vtriusque vitæ gaudijs. Amen.

Erubescāt igitur, qui gesta Frisonum sub Carolo Magno in expeditione vrbis Romæ damnant, & quasi figmenta carpunt. Nos autem Frisij Deo gratias agamus, quòd Carolus magna & memorabili omnium nostratium felicitate, in Frisiam peruenerit, cuius ingenita benignitate & summa prudentia effectum est, vt Christiana fides planè in tota Frisia (abiecto vbique falso dæmonum cultu) assumeretur. Erat autem Carolus Magnus vigesimus quartus Rex Francorum, natura mansuetus, corpore amplo & robusto, statura eminenti, quæ tamen iustam non excedebat. Nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse figuram, lato pectore, latis humeris, apice capitis rotundo, ocu-

lis prægrandibus & vegetis, naſo paululũ mediocritatem excedente, canitie pulchra, facie læta & hilari, & omnia corporis lineaméta debita proportione conſiſtentia, promiſſam gerens barbam, vnde fortunæ authoritas, & dignitas, tam ſtanti quàm ſedenti plurima inerat. Ceruix quamuis obeſa & breuior, venterq́ue videretur proiectior, tamen hoc cæterorum membrorum cælabat æqualitas, inceſſu firmo, totaq́ue corporis, habitudine virili voce clara quidem, ſed quæ minus corporis formæ conueniret valetudine proſpera, preter quod antequam diſcederet, per quatuor annos crebris febribus corripiebatur. Venationibus frequenter ſtudebat, ratus ad ſanitatem corporis conferre, ad extremum etiam vno pede parum claudicabat. Erat eloquentia copioſus & exuberãs, poterat quidlibet decenter efficere, nec patrio ſermone contentus, etiam peregrinis linguis ediſcendis ſtudebat, in quibus latinam ita perdidicit, vt ea quaſi patria lingua orare eſſet ſolitus, artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, earumq́ue doctores plurimum veneratus, magnis extulit honoribus, & ſagaci intentione curſum ſyderum curioſiſſimè rimabatur. Delectabatur etiã vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu ſe exercens, ob hoc etiam Aquiſgrani palatium extruxit, ibiq́ue extremos vitæ annos

vsque ad obitum duxit. In cibo & potu temperans, sed in potu præcipuè, ita vt supra cœnam raro plus quàm ter biberet, sed cibi non adeo moderator, vt sæpe quereretur, noxia corpori suo esse ieiunia, cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur præter carnem assam, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius quàm vllo alio cibo vescebatur. Cuius Christianissimi Imperatoris temperantia huius æui luxuriam procul dubio seuerè castigat, cum ille non tam gulæ desiderio, quàm naturæ necessitati satisfecerit. In pauperibus sustentandis deuotissimus erat.

Inuictus Carolus Francorum gloria gentis,
Virtutis cultor, Regia sceptra gerit.
Magnanimus, fortis fuerat, procerus in armis
Rex pius extiterat, promptus & ingenio.
Gasconiam primo domuit, mox Saxoniamq́;,
Thessilo Baiorum Dux quoque succubuit.
Longbardos bello vicit, nec non Saracenos,
Romanus præsul, liber in vrbe fuit.
Post quoq; Burgundos domuit, Frisiosq́; feroces,
Omnia perdentes turpiter igne simul.
Hos bello aggressus Carolus, qui Francica signa,
Armarat felix, victor vbiq; fuit.
Et Frisios bello domuit, paruumq́; tributum
Indidit, vt possent Frisica iura pati.
Contigit hinc tandem, Christi quoq; gens populosa
Susciperet felix vndiq; dulce iugum.

Paßim

Paßim destruxit perituraq́, templa Deorum,
Et strauit verum relligionis iter.
Fundauit Carolus templa & monumenta virorum,
Qui laudes Domini, nocte dieq́, canunt.
Hinc merito electus Cæsar gratißimus orbi,
Romanum imperium fortiter instituit.
Inde senex moriens, nato sua regna relinquit,
Alternam requiem nactus & ipse sibi.

CAPVT XX.

SEquitur Bulla Caroli Magni Frisonibus data, cuius exemplar ad fidem inserendum operæprecium putaui, quum multi aduersus hæc antiquitatis testimonia consurgunt, & negent Caroli Magni hanc esse Bullã, sed anilia esse deliramenta, & à quopiã in gratiam Frisiorum conscripta, quamuis originalem Bullam præsenti die extare in archiuis Ducatus Geldriæ, relatione fide dignorum acceperim. Carolus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, Francorumq́ue Rex semper Augustus. Omnibus tam præsentibus quàm futuris salutem & pacem in Domino. Ne ea, quæ aguntur in tempore, simul cum tempore labantur, solet iudicij testimonium scripturæ memoria perhennari. Ea propter quæ à nobis facta sunt, ad obliuionis confusionem euitandam, vniuersorum notitiæ cupimus præsentium fide

decla-

declarari, quod cum Ludgerus Dux Saxoniæ Ducatũ suum iure feudali teneret ab Imperio, nec hoc cognoscere curaret, tributumque ex suo ducatu à Cæsare Augusto statutum, quod & à prædecessoribus suis singulis annis prædecessoribus nostris solutum fuerat, nobis exhibere contemneret, modisque omnibus se sacrosancto Imperio Romano & nobis per suam superbiam opponeret, & se in præiudicium, & grauamen Imperij, pro Rege gereret, seque Regem Saxoniæ vocare præciperet: Nos tandem huiusmodi suam superbiam, & iniuriam dicto Imperio & nobis sæpius illatam diutius dissimulare aut sustinere non valentes, inuocato Frisonum orientalium & occidentalium auxilio, quos viros strenuos, agiles, & miræ audaciæ, multorum id affirmante testimonio intelleximus, quibus etiam idem Dux multa inferebat grauamina, eò quòd eosdem suæ volebat subijcere potestati, tum quum viriliter hi sese defendendo eidem efficaciter resisterent, maximè gauisi sunt, quod eorum auxilium inuocare dignabatur, nobisque per nuncios suos spoponderunt, certos & securos reddiderunt, quod parati esse volunt, & deberent in nostrum venire auxilium & subsidiũ, & quod ad obtinendum Imperij honorem & nostrum, vitam suam vellent & essent parati exponere.
Sicque

Sicque dicti Frisones sine mora & dispendio, se ad ineundum prælium contra Ludgerum Ducem & exercitus suos præparauerunt, & termino statuto ad inuadendum ipsum, & terram suam cum maxima multitudine Frisonum, Ducatum Saxoniæ in manu forti intrantes, viriliter & crudeliter cum prædicto Duce, & exercitibus suis dimicantes, ipsum Ducem & exercitus suos iam dictos, euicerunt. Ipsum Ludgerum Ducem vnà cum dignioribus satrapis sui Ducatus Saxoniæ captiuarunt, quos funibus connexos nobis tradiderunt, qui de huiusmodi victoria laudabili, nobis & sacro Imperio obtenta, maximè exultantes ad propria cum gaudio remearunt. Item, cum aduenæ Romani mandatis nostris obedire contemnerent, & quædam iura in imperij præiudicium & grauamen nostrum sibi vsurparent, & nos auxilium fidelium imperij ad resistendum eorum iniurijs inuocassemus, id quamprimum dicti Frisones intellexissent, non vocati à nobis, de suo libero arbitrio & voluntate spontanea, cum multitudine copiosa in subsidium nostrum venerunt, & ab exercitu nostro se separantes, in Romanos, qui per suam superbiam vltra pontem Miluum nostro exercitui occurrerunt, potenti virtute irruentes, quamplurimis ex vtraque parte interfectis eosdem euicerunt, & per nobiles Romanos, quos

quos cum post tempus conflictus ceperant, nobis Romam subiugarunt. Nos itaque considerata horum Frisonum fidelitate, dexteritate & audacia, attendẽtes etiam fidele obsequium eorum, quod imperio & nobis, in diuersis eorum argumentis, quàm creberrimè exhibuerunt, de consueta Regiæ Maiestatis benignitate, ipsis Frisonibus & imperio fidelibus gratiam volentes facere specialem, de consilio fidelium nostrorum, acccedente etiam ad id Principum imperij consensu, tributum à Cæsare Augusto statutum, videlicet viginti libras auri, quas nobis & prædecessoribus nostris singulis annis pendere & exhibere consueuerunt, remisimus. Ita quod neque nos, neque successores nostri, id ab ipsis vel eorum hæredibus de cætero requireremus, vel aliquas exactiones in ipsos faceremus. Præterea authoritate Regia indulsimus eisdem, vt cum omni sua prole nata vel nascitura, in perpetuum liberi permaneant, & à seruitute proprietaria penitus sint absoluti. Statuimus etiam, ne quis eis dominetur, nisi sit ex eorum voluntate & consensu. Et ne iudicibus & iure videantur carere, statuimus vt ex suis eligant consules, quotquot viderint sibi expedire, qui in causis secularibus, de quibus ipsis quæstio mota fuerit, iudices existant. Statuimus etiam, vt eosdem consules singulis annis secundum consuetudinem

Roma-

Romanam, eligant perſonas idoneas & diſcretas, ſub quorum regimine, dominio & gubernatione Friſia ſit conſtituta, & ſubiecta in omnibus, & per omnia, tamquam ſuo vero domino infra terminum ſibi ab ipſis teneantur obedire, quæ perſona poteſtas Friſiæ ab omnibus debet appellari. Inſuper ſtatuimus, vt ſi qui ex ipſis ſuſtentationem habuerint, vel militare voluerint, dicta poteſtas eis gladium circumcingat, & dato eiſdem, ſicut cōſuetudinis eſt, manu colopho, ſic milites faciat, eiſdemque firmiter iniungendo præcipiat, vt deinceps more militum ſacri Imperij, aut Regni Franciæ armati incedant, eò quòd conſideramus ſi prædicti Friſones ſecundum ſtaturam corporis & formam, eis à Deo & natura datam, hic militauerint, cunctis in orbe terrarum militibus ſua fortitudine, ingenio & audacia (dummodo vt prædictum eſt ſint armati) facile præcellent & præualebunt. Qui Friſones ſignum ſuæ militię à dicta poteſtate recipere debent, in quo corona Imperialis in ſignum ſuæ libertatis à nobis conceſſæ debeat eſſe depicta. Item ſtatuimus, vt Friſones nolentes militare, & in ſubſtantia habentes, ſint vſque ad ſummitatem aurium circumtonſi, auro in eorum palludamentis vndecumq; ſplendentes, vt per hoc ſuam valeant oſtendere libertatem, ipſis (vt præmittitur) à nobis eſſe collatam. Et ſi

qui

quis hanc eorum libertatem aliquo ausu temerario infringere voluerit, vel violare pręsumpserit, secundum sententiam, quam annuentibus Imperij Romani principibus tulimus, tam ipsi quàm eorum coadiutores sint proscripti, & à consortio fidelium exclusi. Præcipimusq; authoritate nostra Regia, eosdem tamquam proscriptos & aduersarios Imperij, ab omnibus euitari debere, & si quisquam eisdem ad præliandum contra dictos Frisones astiterit, vel adiutorium præstiterit, eandem pœnam & offensam Imperij & nostram se nouerit incursurum. Authoritate etiam præmissa statuimus, quod si ijsdem aliquo casu contingenti in ipsorum vita vel bonis aliquod damnum à dictis Frisonibus, vel ab aliquo fuerit illatum, nec successores nostros, neque alij iudices seculares ad alicuius instantiam, ijsdem aliquam ex hoc exhibebunt iustitiam, quum potius tamquã proscripti Imperij sint seuerius puniendi, quàm fauoribus quibusuis, vel à nobis, vel ab imperio prosequendi. Hanc autem sententiam nostram in fauorem Frisonum sic à nobis dictam esse & collatam authoritate statuimus in perpetuum firmam, ratam, stabilemque haberi & obseruari, & nos etiam tenore præsentium protestamur à sanctissimo Domino Patre nostro Papa Leone impetrasse & obtinuisse. Quod si prædicti Frisones de huius-

modi grauaminibus ipsis à præfatis malefa-ctoribus illatis, querimoniam fecerint, tam ipse Dominus Papa iam dictus, quàm sui successores, ostenso ipsis suæ libertatis priuilegio præsenti, eosdem excommunicabunt, & denunciari facient excommunicatos vbique terrarum, specialiter autem qui seculares habuerunt dignitates, quos sub interdicto ponent, quæ sententia interdicti, aut excommunicationis, nullatenus relaxari poterit, nisi per speciale S. Pontificis mādatum. Et vt hoc laudabile factū nostrū robur obtineat æternæ firmitatis, nec à nobis nec à nostris successoribus, seu à quocunq; alio aliquatenus infringi possit, vel etiā in dubiū reuocari valeat, & etiā vt dicti Frisones nobis fideles, & dilecti iam memorati, tali in perpetuū gaudere possint priuilegio, præsentem paginam exinde conscribi, & Bullæ aureæ munimine in testimonium omnium horum roborari fecimus. Huius igitur facti laudabiles testes sunt, VVencelaus Rex Bohemiæ, VVarnandus Dux Bauariæ, Lipoldus Dux Moranensis, Henricus Dux Austriæ, Otto Dux Sueuiæ, Conradus Margrauinus Meysonensis, Harboldus Landgrauius Turingiæ, alijque Principes & viri honesti complures. Actum & datū Romæ in Lateranensi Palatio. Anno Dominicę incarnationis octingentesimo secūdo, indictione sexta, Regni nostri secūdo,

sedente Leone tertio Papa, & imperãte Carolo Magno. Hæc de literis Serenissimi Regis Caroli ad verbum transcripsimus, vt fideli testimonio pernoscamus libertatem, quam victoriosissimus Rex post impositum à Danis iugum seruitutis Frisijs dedit, vt liber esset populus à iugo tributorum & omni exactione.

CAPVT XXI.

VT autem ad intermissam temporis seriem redeamus, temporibus Gregorij Papæ secundi & Pipini Imperatoris, teste Iohanne Spanhemensi libro de Ecclesiasticis scriptoribus, fuit in Germania D. Bonifacius Moguntinensis primus Archiepiscopus, natione Anglus, aut vt quidam dicunt, Scotus, Germaniæ Apostolus, Monachus ordinis S. Benedicti, vir citra controuersiam Deo longe charissimus, cuius epistolæ extant & ostẽdunt eum in Turingia & vicinis locis multos Ecclesiarum abusus emendasse, tandem à Gregorio Papa secundo in Germaniam missus, propter summam pietatem, doctrinam, integritatem morum, & indefessum studium, & zelum propagandæ religionis Christianæ, Moguntinensis Episcopus est ordinatus. Ac postea vt Frisios quosdam, antea Christianos, sed in paganismum paulatim relapsos, salubri doctrina ad

puritatem Christianismi reduceret, resigna-
to Episcopatu Moguntinensi, factus est Epi-
scopus Traiectensis, assumptisque aliquo
fratribus fidei zelo feruentibus, ad infidelem
populum Frisiæ nauigando descendens, de-
uenit ad partes eius, quæ ea ætate sub religio-
nis Christianæ prætextu, idolorum cultura
seruiebant, vt animas Christo lucrifaceret
illamque gentem proposita Euangelica luc
illustraret. Constanter ergo progressus vbic
cum ingenti feruore verbum Dei prædica-
bat, & multos Frisones, relicta idololatria, a
Religionem veram conuertit, insanientisq
vulgi minas parui pendens, exhortantibu
discipulis suis, Euangelium constanter ape-
ruit, & verbum æternæ salutis insultanti po-
pulo prædicare non distulit. Quumque iam
Deo disponente, palma eius martyrij adef-
set, peruenissetque secus ripam fluuij vel flu-
minis, quod Borne dicitur, quod est in con-
finio eorum pagorum, qui vulgari lingu
Oestergoe & VVestergoe dicuntur, ibiqu
fixis tentorijs, sese aliquantisper recreation
dedissent, ac nuper conuerso populo, & ba-
ptizatis omnibus diem statuens eò conuen-
re, vt Confirmationis sacramentum percip-
rent: Frisij paternis monitis, auribus pertina-
citer obturatis reijcientes, cum gladijs & lan-
ceis in athletas Dei irruerunt, ipse B. Ponti-
fex inde contendit ad vicum, qui dicitu
Dockin

Dockinga, nunc autem Dockum. Et cũ dies illuxiſſet, venit Friſiorum ingens multitudo cum lanceis & gladijs, cœperuntque in cãſtra ſanctorum irruere. Sed S. Bonifacius nequaquam à prædicatione verbi Dei deſiſtens, tãtò feruentius Dei verbum prædicabat, quantò amplius furens plebs ſæuiret. At Friſij irruentes in ſanctos Dei famulos, eòs morte cruenta trucidantes, & ad terram proſtrauerunt, ita vt ipſe poſt multiplices labores, & continua ſanctæ vitæ ſtudia, cum ſedecim annos per Friſiam fideliter prædicaſſet, anno Domini 782. Nonas Iulij in Dockum, cum quinquaginta duobus viris doctiſſimis, ſocijs, & diſcipulis ſuis, ob prædicationis officium, pro fide Chriſti crudeliſſimè trucidaretur. Ibidem autem cum panem peteret à Friſonica muliere, vetus habet fama, dum in fornace conquerentur, illa negabat ſe habere panem, & quum dictus martyr inſtanter peteret, illaque inſtantius pernegaret addita imprecatione dira, vt, ſi haberet, in lapides conuerterentur, continuò propter illuſiones in fidei Catholicæ profeſſorem factas, ex vindicta Dei in lapides tranſmutati ſunt, qui in hodiernum diem pro memoria S. Martyris ibidem ſeruantur in archiuis Eccleſiæ, imò & fama, & fide receptum videtur, hos lapides aliquando panes fuiſſe, quum etiam formã panis, & priſtinum ſaporem & candorem retineant.

tineant. Quod autem hæc non fabula ſit, aut in laudem pietatis dicti martyris confictum, ſed rei veritas, atteſtor ego, qui quinque panes ex eis oculis meis vidi, & ſaporem guſtaui. Huius vitam à D. VVillibaldo Eiſtetenſi Epiſcopo primo poſteritati commendatam eſſe, teſtimonia nemini dubia ſuperſunt. Ob cuius eximia merita ibidem à Friſijs, ad fidē Chriſti conuerſis, celebre conſtructum eſt Monaſterium ordinis Præmonſtratenſium, vt ſequenti capitulo dicetur, in cuius ſacra æde honoratur Sanctus ille vir magnifico ſepulchro, quale decet hominem numini diuino acceptiſſimum. Et alia ornamenta peculiaria, tum ipſius Bonifacij inteſtina, aliorumque complurium martyrum mirifico odore flagrantia, ob ſingularem chariſmatis Spiritusſancti honorandam memoriam, in hunc diem Cimbæ implicata, reſeruantur, & ibidem multis miraculis clara viſitantur. Extant ibidem à Sancto illo viro multa antiquitatis monimenta, & diuinę mentis argumenta, vti ſuperius in deſcriptione ciuitatis Dockumanæ dictum exiſtit, eiuſque etiam cranium à Friſijs enſe amputatum, adhuc in monaſterio illius loci conſeruatur & oſtenditur. Corpus verò eius B. Lullus (quem poſt ſe ordinauerat Archiepiſcopum) ad Monaſterium Fuldenſe ordinis D. Benedicti in Buchonia ſitum, reduci fecit, & honorificè ſepeliri.

liri. Quidam autem Christi fideles, collectis tredecim Sanctorum martyrum corporibus, transierunt Traiectum repentino nauigio, atque ibidem in Ecclesia S. Saluatoris congruo honore corpora humarunt. Reliquit post se sanctus ille martyr nouum Testamẽtum Grȩcanica phrasi suis digitis conscriptũ. Is autem S. Bonifacij liber hostili ferro læsus, qui instar clypei cædentibus Frisijs ethnicis obiectus, virtute tamen Dei, de manibus gentilium seruatus est. Conciliat præterea huic ædi perpetuum nomen & decus, annua peregrinatio ex omni Frisia, populorũ sæpe permulta milia Christianorum, religiose ad hȩc nostra tempora ibidem confluentium. Horum tandem sanctorum indignam mortem, Deus in filios filiorum vindicauit, vt passim ex eorum familijs (quorum maiores tam nepharium scelus perpetrarunt) in hunc diem videntur, in occipite habere grossos crines subalbi coloris, in modum caudæ cuiusdam bruti animalis, vt iustè dixeris: Sentit adhuc proles, quod commisere parentes.

CAPVT XXII.

IN loco, vbi quondam preciosus Christi martyr sanguinem fudit, quum Frisones aggesta terra collem erigerent, propter læsiones maritimasque irruptiones ex maris æstu quotidie veniẽtis, ibi Ecclesiã extruere,

& seruorum Dei habitacula collocare proponebant. Et facimus tantæ memores Frisij disputare cœperunt de aquæ defectu dulcis limphæ, quam loci illius habitatores, serui Dei ope habuerant, cuius penuria pene per totam Frisiam, tam hominibus quàm iumentis non paruam gignit difficultatem. Tunc vnus Deo volente Abbo nomine, præfectus terræ, Pipini Regis constitutione, sumptis secum collegis, equum ascendit, cum quibus girato collo, & tumulo inspecto, qui iam perfectus erat, ecce repentè cuiusdam pueri caballus pedibus anterioribus terræ infixis, & cruribus nutantibus ruinam penitus minabatur, mox hi, qui agiliores erant, cum descensis suis caballis accurrerent, vt equum terræ inhærentem extraherent, statim fons limpidissimus, præter consuetudinem patriæ, prorumpebat, miroque sapore potantibus suauis aqua erat, qui per incognitos meatus trãsiens, adeo largiter profluebat, vt iam riuus maximus videretur. Quo obstupefacti miraculo, exultantes, ea quæ viderant, vbique diuulgauerunt, glorificantes inde Deũ. Hæc omnia sumpta sunt ex legenda S. Bonifacij martyris. Est autem hodie in loco illo vbi S. Bonifacius cum suis socijs est passus martyrium, nobilis extructa Ecclesia cum Monasterio adiuncto, quod olim Canonicos Regulares tenuisse crediderunt, eò quòd S. VVil-
lebror-

ebrordus primus Episcopus Traiectensis, cum suis socijs, & S. Bonifacius annis tredecim cum eo ante Episcopatum suum, & multi Episcopi Traiectenses, multo tempore post eos in habitu & regula Canonicorum Regularium Traiecti in Monasterio degerunt, teste Marcellino in legenda S. Suidberti, & ab his ipsis primo inhabitatum videtur hoc Monasterium in Dockum, & vetustissimum esse totius Frisiæ, quia haud multum post mortem S. Bonifacij fundatum apparet. Scribit enim S. Rixfridus, septimus Episcopus Traiectensis, in quadam epistola ad S. Ludgerum primum Episcopum Monasteriensem: Deus, inquit, nos in nostro Monasterio Frisiæ in pago Dockum, in quo B. Bonifacius secundus Traiectensis Ecclesiæ Episcopus cum quinquaginta duobus fratribus martyrium pertulit, &c. Et infra in eadem Epistola sua ait: Admonitione & exhortatione fratrum conuentus in Dockum, ad tuam fraternam dilectionem habeo fidelissimum accessum. Ex his S. Rixfridi Episcopi verbis patet, suo tempore fuisse hoc Monasterium eiusdem ordinis, cum conuentu Traiectensi, qui (teste S. Marcellino) erant Canonici Cœnobiales, siue Regulares. Continentur etiam in eodem Monasterio & Ecclesia, triginta corpora sanctorum martyrum, quia vt superius diximus, corpus S. Bonifacij ad Mo-

nasterium Fuldense & tredecim aliorum sociorum eius, asportata fuerunt Traiectum, & reliqua ibi manserunt. Item eius casula, alba, manipulus, stola, atque calix, item eius baculus Pastoralis siue episcopalis, & cyphus argenteus, non dissimilis poculis, quibus mendici vtuntur, capiens vini amphoram dimidiatam, ex quo Sanctus ille vir bibere consueuerat, sed nimis longum esset ornamenta omnia recensere. Itaque hîc subijciam Carmina Alcuini Anglici Doctoris ecclesiastici, & Magistri Caroli Magni, de Ecclesia S. Bonifacij in Dockum composita.

Hic pater egregius meritis Bonifacius almis,
Cum socijs pariter fundebat sanguinis vndam.
Indita martyrij sumentes stemmata sacri,
Terra beata nimis, sanctorum sanguine diues,
Transuolat hic victor miles ad præmia cæli,
Vltima cespitibus istis vestigia linquens.
Suadeo quapropter, curuato poplite supplex,
Tu quicunque legis, terris his oscula fige.
Spesque tibi fiat, lachrymis ascendere cælum
Hic potuisset.
Hic manet ille cruor, cuncto preciosior auro,
Membraque cælesti rore hæc perfusa quiescunt.
Adiuuat hinc Paulus, doctor Bonifacius inde,
Hæc illis quoniam constat simul aula dicata.

CAPVT XXIII.

Difficile ad fidem Christianam conuerti poterant Frisones, & trecentos fere

annos ita in paganiſmo hærentes, paulatim tamen, nunc parte vna, nunc altera, tandemque tota, ſed diuerſis temporibus, verã Christi fidem ſuſceperunt, & ab eo tempore verũ Deum, & filium eius, quẽ miſit Ieſum Christum cœperunt agnoſcere, & facta eſt omniũ virtutum amatrix, præſertim liberalitatis & hoſpitalitatis, qua incolæ eius in aduenas & peregrinos vtuntur. Id quod demonſtrat priſca orthodoxa Religio, & cultus diuinus, item egregia templa, Cœnobia & Monaſteria tam virorum quàm virginum magnificè extructa, & liberaliter dotata, atque à Caroli Magni tẽporibus variis monumentis decorata, prout in ſequẽti capite latius explicabitur. Et qui eos primo prædicatione verbi diuini à paganiſmo ad Chriſtianiſmum conuerterunt, & vias æternæ ſalutis Friſijs aperuerunt, fuerunt viri Apoſtolici & zeloſi, videlicet S. Cunibertus Archiepiſcopus Colonienſis, Suitbertus, VVillehadus Bremenſis Epiſcopus, qui tam Friſijs quàm Saxonibus prædicarunt. Poſt martyrium S. Bonifacij, hic obijt ſenex & plenus dierum in Friſiæ pago Pleccaſſe, nunc vocant Blixen, in ditione Ruſtringenſi, tum etiam VVillebrordus Anglus Epiſcopus Traiectenſis, vir pius & ſanctus, qui à multis Friſonum Apoſtolus nominatur, & fuit de ſtirpe Regis Engiſti, qui, vt dictum eſt, cum Horſa fratre primi fuerunt,

runt, qui Angliam cum Frisonibus inuaserunt, ac ipse VVillebrordus à Gregorio Pontifice Romano Episcopus ordinatus, & ad conuertendam gentem Frisonum paganorum in littoribus Oceani occidui transmissus, multas Ecclesias, (destructis delubris) in occidentali Frisia construxit, & prædicatione verbi diuini per quinquaginta annos decorauit, & Frisiam magna ex parte ad fidem Catholicam conuertit. Deinde à S. VVillebrordo missus est S. Marcellinus presbyter, de quo S. Ludgerus protoepiscopus Monasteriensis scribit ad venerabilem Rixfridum Traiectensis Ecclesiæ Episcopũ: Marcellinus (inquit) egregius presbyter vltra septuaginta annos Christum euangelizando, præfuit paganis & gentibus, magnam Frisiæ partem conuertendo. Sed deinde propter suam imbecillitatem, decrepitamque ætatem è Frisia ad conuentum Traiectensem à S. Gregorio Episcopo reuocatus est, quo facto multi prope Aldenzeel in Frisia & in finibus eius neglectis fidei sacramentis, quibus erant feliciter ab eo imbuti, ad erratica idolorum phana, & philacteria dæmoniacæ artis sese conuerterunt, ad quorum errorem corrigendũ ab aliquibus incolis Christianis eiusdẽ prouinciæ, vt celeriter ad illos perfidos rediret, humiliter est requisitus, & ab eodem Gregorio Episcopo ad illos missus, ducens illos sua

fructifera prædicatione, ad viam veritatis eos denuo reuocauit. Qui etiam vico Dockũ publicè coram Haddone, Tranburgo, Henrico, Gerardo & Aldelgero, alijsque fratribus audientibus prædixit, S. Ludgerum populis rudibus vltra Lauicam siue Lanam fluuium verba vitæ ministraturum; quæ omnia sortita sunt effectum. Præterea dum currum ascenderet profecturus Aldenzeel, & omnibus ferme fratribus Conuentus Traiectensis ad currum comitantibus, & propter suum discessum piè mœrentibus, ecce obuiã habuit ante portas Monasterij duos viros squalida lepra infectos, ligneo sono eleemosynas petentes, quos vt vidit confisus in Domino, fusa tacitus prece ad Dominum, calicem sibi ad potandum porrigi iubet, & benedicens misit illis leprosis, & propter confirmationem neophytorum astantium, præcepit illis vt ex eodem calice biberem, qui bibentes statim sunt mundati, omnibus astãtibus & stupentibus de tam insolito miraculo. Ipse verò gratias agens Deo salutis authori, salutatisque singulatim fratribus omnibus recedens, in Aldenzeel aliquot annos degẽs, Christum deuotè annuncians, ac multorum aliorum miraculorum signis effulgens, ibidem feliciter requieuit in Domino. Hęc Ludgerus Episcopus prolixius de S. Marcellino scripsit, vt cognita viri sanctitate, scripta eius magis

magis authentica habeantur. Ipse enim non audita, vt Venerabilis Beda & quidam alij, qui hanc materiã tractantes, scripserunt: sed visa & reperta retulit, itaque ipsum non immerito alijs scriptoribus præfero. Præterea VVillehadus Bremensis, Hildegrimus Friso Episcopus Halberstadiensis, Ludgerus Episcopus primus Monasteriensis, & ipse Friso & frater antedicti Hildegrimi, successiuis temporibus ad Christi fidem propagandam in Frisiam venerunt. Erat quippe Ludgerus ex parentibus Friso natus, vir ab vtero matris sanctificatus, qui prædicationis sancto officio tam ardenter incubuit, vt merito Saxonum & Frisonum Apostolus (vt inquit Rhenatus) & memoraretur, & esset. Quippe ipsum in vita pariter & in morte multis miraculis constat claruisse, qui primo construxit summum templum Monasterij, & dotauit illud, ad cuius ædificationem maioris tẽpli Monasteriensis, contribuerunt ingentes oblationes & pecunias, populi partium Frisię videlicet Hunsinga, Fimelinga, Phedagra siue Reidensis, qui ab eo ad fidem Christi conuersi, fuerunt Ludgero amicissimi, vt secundo libro dictum est. Quippe regio Frisiorum prædicatione D. Bonifacij Archiepiscopi illustrata, multos habuit, & emisit religioni Christianæ addictissimos Christianos. Monumentum huius rei in summa Ecclesia

Mona-

Ionaſterienſi oſtenditur in pariete, & anti-
ua pictura Friſonum, offerentium D. Paulo
nunera, ſupra ianuam ſeptentrionalem ver-
us occidentem inſcriptam, quam picturam
uperioribus aliquot annis fere oblituratam,
x deletam ab Anabaptiſtis, noſtra vidit ætas
er reformationem egregiè inſtauratam, &
arminibus ſequentibus illuſtratam, à viro
loctiſſimo & poëta Rodolpho Langio, Ca-
nonico eiuſdem Eccleſiæ.

uſcipe virtutes maiorum Friſia diues,
Ad maiorum oculos ſtudio reparata vetuſtas.
Quam bis tincta nouo, deſtruxit turba furore,
Arte repurgatam, nitidoq́ colore politam.

CAPVT XXIIII.

MOrtuo ſanctiſſimo Bonifacio, martyre & Archiepiſcopo, ſucceſſit ei in Epiſcopatu Traiectenſi Gregorius vir loctus & ſanctus, quem Bonifacius ante nortem ſuam ſibi ſucceſſorem ordinauerat, qui prædicationem ſanctæ fidei per prædeceſſores ſuos VVillebrordum & Bonifacium Epiſcopos in Friſia cœptam, ſtudioſe ſecundum gratiam ſibi à Deo datam continuauit. Sed Deus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, volens vt omnes homines ad agnitionem

ſui

sui peruenirent, prouidit S. Gregorio Episcopo prædicto, de fideli & strenuo prædicatore, qui secum in Frisiorum conuersione diligenter laboraret. Nam S. Anscharius secundus Episcopus, & primus Archiepiscopus Bremensis scribit, quod fuerit vir quidam venerabilis de gente Anglorũ nomine VVillehadus, qui factus presbyter, audiuit Frisones & Saxones, qui hactenus increduli fuerant, iam relicta idolorum cultura, fidei Catholicæ cœpisse mysteria. Hoc itaque audito, vir Dei magno repletus est gaudio, & inhianter quærere cœpit, quomodo pro Dei amore illas in partes se trãsferre posset. Quare diuino institutus spiritu, accessit ad Regem Angliæ nomine Alachart, indicans ei quo zelo Dei accensus esset, petijtque vt eius licentia atque permissu ad prædicandum verbũ Frisiam & Saxoniam sibi adire liceret. Rex autem comperta eius sanctissima voluntate conuocato ad se Episcoporum aliorumque seruorum Dei non paucorũ numero, eum ad prædictam causam prędicandi verbum Dei destinauit. Qui mari quantocius transmeato, venit in Frisiam, ad locum quæ dicitur Dockinga, qui est in Oestergoe, vbi B. Bonifacius Episcopus iam dudum erat martyrio coronatus. Ibi ergo dictus VVillehadus Anglicus, flagrans desiderio, vt martyrium subire posset pro Christi nomine, quemadmo-
dum

lum & S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus non ante multos annos in gente Frisonum fuerat, quæ veteri Saxoniæ olim annumerabatur, aut animas Christo per Euangelium eius lucrifacere posset, multa fecit, & plurima passus est, vt in fide confirmaret eos, quos memoratus martyr & pontifex Domino quæsierat, quoniam per prædicationem prædicti martyris, multi antea ad fidem instructi fuerant, cum magno honore ab illis susceptus est. Itaque docens quæ Dei sunt, multo tempore ibi habitauit, nam & plurimi nobilium, infantes suos ipsi ad erudiendum ibidem tradiderũt, quos ille tã verbo, quàm exemplo, piæ conuersationis ad diuinum excitabat amorem, multosq́ue errantes olim à fide, ad veram Catholicam reuocauit scientiam, seq́ue maximum lumen supremæ claritatis eodem in loco exhibuit. Gentiliũ quoque quamplurimam cateruam, sua pręedicatione instructam, ibidem baptizauit. Inde procedens transijt flumen Lanum, vulgari lingua *de Lauvverts*, venitq́ue ad locum qui dicitur Hugemertka, nunc *Hummers*, ibiq́ue barbaris cœpit prædicare nomen Domini, atque persuadere, vt relicta idolorum superstitione, vnius verbi Dei notitiam suscipererent, insaniam & vanum esse, à lapidibus auxilium petere, & in simulachris surdis ac mutis salutem ponere. Quo audito gens fera, &

idolatrijs nimis dedita, irata in eum denti-
bus stridebat, clamitans, non debere hun
hominem diutius viuere, imò reum esse mo
tis, qui tanta conuicia, contra Deos suos in
uictissimos dixisset. Quidam tamen inter eo
saniori consilio suadebant, cæteris ignotan
sibi esse religionis viam, vtrum ex Dei volū
tate sit proposita, virum quoque illum null
crimini obnoxium, neque in re tam dubia
nec subito dandum neci, quapropter init
consilio, dimiserunt illum à se liberum exi
re, & pergere quò vellet, sicque transiens ve
nit in Trentam, ibique diutius immorans, &
crebro euangelizans, vnde & credidit Gen
tilium multitudo quamplurima. Caroli de
inde Magni Francorum Regis iussu ad Saxo
nes diuertit, à quo & primus Bremensis Epi
scopus constitutus est, ibique post multos la
bores, dierum & bonorum operum plenu
mortuus est. Obijt autem anno Domini 768
Post transitum deinde S. VVillehadi, quum
plures adhuc in Frisia ad idolorum cultur
relabi conarentur, prouidit Dominus Deu
populo suo Frisonico, ex propria ipsorum
natione strenuum prædicatorem & idoneū
nomine Ludgerum. Hic quasi alter Samue
(è ventre matris vti præcedenti capitulo di-
ctum) videtur Domino consecratus, quia
tantæ erat innocentiæ, tantæ sanctimoniæ
cuius gesta strictim hic libet subijcere, vt eo

faci-

facilius ad plurimorum perueniamus notitiam, & maximè Frisiorum, quoniã ab ipsis duplici honore præ cæteris sanctis merito est honorandus. Quia non solum ipse Frisios, vt S. VVillebrordus, & alij Christo Iesu per Euãgelium genuit, sed eciam in Frisia, & ex Frisico genere natus est. Fuit quippe Ludgerus in pago Frisiæ, qui dicitur Vvyrum, nõ procul à Dockinga, nunc Dockum, in Dongerdeel, ex nobilibus & Christianissimis parentibus ortus, cuius pater dicebatur Thiargrinus siue Tyaerdt, mater verò Liaffburch. Quem (postquam gratia Dei pariter & in corpore accrescens adolescentiæ ætatem attigisset) miserunt parentes eius ad Gregorium Conuentus Traiectensis Abbatem, postmodum tertium eiusdem Ecclesiæ Episcopum, literis sacris erudiendum, breui itaque tempore Ludgerus seculari statui abrenuncians, tonsura accepta, se totum in Traiectensi monasterio, ad diuinum officium conuertebat, ibique successu temporis Acolythus, & deinde Subdiaconus ordinatus est eodem tempore, quo B. Gregorius Traiectensem regebat Ecclesiam, quo etiam tempore venit ex Anglia quidam sacerdos nomine Albericus, ad Christi nomen Frisonum & Saxonũ gentibus prędicandum. Cuius scientia & moribus vir Dei Gregorius delectatus, eum sibi Coëpiscopum fieri instanter postulauit. Ad

hæc cum se Albericus nullo modo tale tantumque officium (nisi id ei per suum superiorem iugiter concederetur) assumere responderet, eundem mox Gregorius cum epistolis in Angliam remisit, iungens illi viæ comites, virum Dei Ludgerum Subdiaconum, & pariter Sigeboldum Diaconum. Erat quippe ea tempestate famosissimus Doctor in Anglia Alcuinus, qui Caroli Magni fuit præceptor, cuius etiam fauore Imperator famosissimum illud olim vniuersale studium de Athenis Romam translatum, & exinde in Franciam Parisios transtulit. Hic igitur Alcuinus Doctor, præclarã omnium bonarum artium & ingenuarum scientiarum scholã in Cantu. Eboracensi, tenuit. Huius confestim familiaritate vir Dei Ludgerus potitus, per annum integrum illius lectioni insistebat, & post anni circulum Diaconatus ordine percepto cum Alberico Episcopatus apice insignito Traiectum reuersus est. Sed non multo tempore post, iterum B. Gregorius misit Ludgerum, studio literarum, ad Alcuinum imbuendum in Eboracensium ciuitatem, ibi tres integros annos cum dimidio persistẽs, nedum sacras vtriusque testamenti scripturas reuoluit, sed & ingenuas artes, bonasque scientias literarum secularium perdidicit, fuitque ipsi Alcuino Magistro suo & omnibus suis honorabilis ac acceptus. Porro diutius illic Ludgerus

gerus perstitisset, nisi quodam tristi fato præpeditus, inde discedere fuisset coactus. Accidit namque quod in contentione exorta, cuiusdam Comiti filius in ciuitate Eboracensi, à quodam Frisone occideretur, vnde ciues iniuria moti, vltionem in omnes Frisones illico conuerterent, vnde etiam negotiationes suas intermittere oportuit, seque clam subtrahere cogebantur. Alcuinus verò de Ludgero sollicitus, adiuncto ei Diacono suo, vnà cum alijs mercatoribus, clam inde Traiectũ remeare fecit. Deinde S. Ludgerus destinatus est in Frisiam, ad Deorum phana & idolorum simulachra destruenda, plurimi namque ibi erant adhuc gentilium superstitionibus dediti. Igitur Ludgerus assumptis secum nonnullis fratribus ex conuentu Traiectensi, illuc citissimè perrexit, vbi gratia Dei & virili constantia nomen Christi prædicans, populum valde durum instruxit, ac mirabili sagacitate templa cum Deorum idolis, absq; omni contradictione, coram illorum cultoribus destruxit, & in Christi Ecclesias commutauit. Tunc Albericus Antistes B. Ludgerum sacerdotij gradum fecit percipere, quia hactenus in Leuitarum officio ministrauerat: & quia Frisonum gens eo adhuc tempore multum in fide Christiana rudis erat, ideo Antistes Albericus constituit dictum Ludgerum, iam Christi sacerdotem in pastorem

Ecclesiæ in pago Dockum in Oestergoë, eò quòd ipsum nouerat fidei puritate, & doctrinæ facultate pollentem, & ob suorum parentum & cognatorum gratiam, qui illic spectabiles habebantur. In quo quidem loco dudum (vt supra diximus) B. Archiepiscopus Bonifacius cum suis socijs, martyrio fuerat coronatus. Dignus quippe tali loco, aut locus tanto sacerdote, locus inquam, qui tanti martyris est sanguine consecratus, tantum dignus erat habere pastorem. Itaq; vicissim, vel locus sacerdotem, vel locum sacerdos commendat. Quo in loco septem continuis annis Frisijs feruentissimè prędicabat, vtpote suæ gentis & nationis salutem ardentissimè sitiens.

CAPVT XXV.

CVmque S. Ludgerus post multos salutiferos labores ad proprium solum redijsset, & esset quodam tẽpore in VVertiuia suæ nationis loco, seu Frisonico nomine VVierum prope Dockum, vbi ex sua hæreditate Ecclesiam construxerat in proprio fundo, & ibidem etiam Monasterium fundare decreuerat, vidit in somnis visionem, quomodo Dominus hominum iniquitates per Nordmannos esset vlturus, viditque ex aquilone per mare caliginosas quasdã & teterrimas nubes exurgere, quæ paulatim magis

gis creſcerent, & ſua tandem mole ingruen-
tes, Chriſtianitatem plurimum infeſtarent,
& ipſum à maritimis locis Friſiæ ex intuen-
tium oculis penitus abducerent, vnde toti
Friſiæ ingens caligo, horribileſque tenebræ
ingeſtæ fuerunt, atque habitatores immanis
timor perculſit. In quo mœrore dum ſic ali-
quamdiu perſiſterent, ſol ſe tandem ex Au-
ſtro recuperans, vi ſua tenebras inuadere, at-
que ſenſim radios ſuos, quamuis pallidiores
emittere videretur, donec ad priſtinum ſta-
tum reuerſus, deterſa caligine, rurſum vni-
uerſas nubes penitus trans mare fugaret. Quã
viſionem dum vir Dei animo ſuo manè per-
penderet, ſe non vanum vidiſſe ſomnum, ſed
veram ſuperiorem prophetiam ſupernè re-
uelatam credidit, magnaque exuberans mœ-
ſtitia, lachrymatus eſt. Vnde cum ſoror eius
Heriburga, quæ tunc ſecum illic erat, cau-
ſam tantarum lachrymarum exquiſiuiſſet,
reſpondit: Chariſſima ſoror, grauiſſimum
hac nocte ſomnum habui, mihique videre
viſus ſum, quod totum cor meum dolore
concuſſit. Quandoquidem Monaſterium in
loco hoc noſtro genitali cogitarã conſtruere,
ſed hoc nequaquam pro mea voluntate hic
fieri poſſe, reuelata in ſomnis viſione hac no-
cte didici. Venient enim dies, quibus Nort-
mannorum gentes infinita multitudine, ex
ſeptentrionalibus partibus, per mare ad has

 noſtras

nostras terras se transferent, & instar caliginosarum nubium paulatim irrumpent, & deprædabuntur, ac tandem grauissima persecutione incolas deuastabunt. Sed & fidem Christianam tamquam solis lucem obnubilabunt & insequentur, totamq; ex cordibus hominum disterminabunt, quam tamen Dominus sua miseratione ad seruos suos reuersurus, luci pristinæ suæ (licet pallidiori) restituet, & ab australibus populis pacem recuperabit. Ad hæc autem cum Heriburga (audita genitalis soli desolatione) cum eo simul fleret, & se non tantis malis reseruari, sed vel aut ea de hac vita tolli deprecaretur: Nõ ita (inquit) erit ô mea soror, ego autem ista temporibus meis non videbo, tu verò me superuictura es, & omnes istas tribulationes post me videbis. Siquidem secundum S. Ludgeri prophetiam, temporibus suis tanta pax erat, vt ne vllus quidem tanta vndique mala superuentura ibi suspicaretur de Nortmannis. Ast verò anno secundo post Ludgeri decessum, eadem sicut prædixerat, continuò surgere cœperunt, vt infra dicetur. Qua in re diligentius considerare libet, quantæ securitatis vir iste apud Deũ fuerit, cui futura mala ostendit, & tamen in diebus suis hæc euenire noluit. Igitur dum domini voluntatem orando intentius perquireret, quo in loco Monasterium tuto ædificare posset, reuelatũ

est ei diuinitus, locum fundandæ Ecclesię ac Monasterij esse in saltu quodam, iuxta flumē dictum Rura, Deo placidiorem. Qui mox assumptis viæ comitibus, ad ostensum sibi à Deo locum properans, ędificationem ordiri cœpit, quod Episcopus factus adimpleuit, vocando illud VVerdena.

CAPVT XXVI.

DEinde victoriosissimus Carol⁹ Magn⁹ Rex iam rebellium Saxonum victor, ex suggestione Alcuini viri primarij, & præceptoris sui, cui⁹ semper consilio præsertim in sacris rebus vti solebat, Ludgerum virum Dei, ex Monasterio Franciæ, cui nomen Beneuentum, euocauit, ipsumque præfecit in partibus occidentalis Saxoniæ congregationi Canonicorum, donec sopitis motibus Saxoniæ, & pace firmata, ei commendauit Ecclesiam Mymyngrodensem, nunc Monasteriensem: nam ciuitas extructo ibi Monasterio, Monasterij nomen accepit: quam annis duodecim sine ordine Episcopali administrauit. Quia enim meminerat dixisse Apostolum, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, munus quidē Episcopi exercere cœpit, ast gradum accipere renuit, itaque quod oneris erat, suscepit; sed quod honoris erat, reiecit. Tandem nolens Diœcesim suam esse sine Episcopo, nec ipse fieri

volebat, postulauit aliquem eorũ, quos ipse nutrierat pro se gradum accidere Episcopalem. Quod cùm Hildeboldus Coloniensis Archiepiscopus nollet annuere, Episcopatũ inuitus suscepit, atque primus est Monasteriensis Episcopus ordinatus. Hunc virum Dei aliquando cùm Carolus Imperator cognomento Magnus ad se pro quadã Reipub. causa vocasset, & primo mane misso cubiculario ad se venire præcepisset, ea erat hora, qua exolueret pensum horarum cum suis, atque his expletis se venturũ respondit. Quod cùm relatum esset Carolo, & ille venire tardaret, secundo quoque & tertio ad accersendum illum misit, sed ille omnino venire distulit, donec cœptam psalmodiam finiuisset. Qua finita quum ante regis conspectum venisset, interrogauit eum Rex, cur imperium eius contemnens, venire ad eum distulisset, at ille vultu constanti, animoque intrepido respondit: O Imperator ego tuum mandatũ in omnibus semper ita exequendum putaui, vt tamen Deum vbiq; tibi præferendum nõ dubitarem, quem omnibus anteponendum omnes norunt, & etiam fatentur. Hoc enim & mihi ipsi præcepisti, quum pastorale onus mihi imponeres; vt Deo primum seruirem, & deinde tibi, quod & nunc feci. Nam Deum tibi & cunctis in terra mortalibus præponẽdum non ambigo, neque tuum esse credidi,
quod

quod huic iuſſioni & perſpicaſiſſimæ ratio-
ni contrarium eſſet. Imò non ad Regię Maie-
ſtatis ac poteſtatis dehoneſtationem & con-
temptum (vt maleuoli criminantur) ſed pro-
pter tuam ſalutem, quam Deo exoluere cu-
rabam, & ita conſequenter ad tuum ſeruitiũ
veni. Quam eius reſponſionẽ Rex optimus
gratanter amplexus: Gratias (inquit) habeo
Epiſcopo, quia qualem te eſſe credidi, ſem-
per talem nunc expertus ſum. Equidem fue-
runt, qui hoc tuum factum ad meam trahe-
rent iniuriam, ſed hos, vtpote ſanctitatis tuę
inuidos, minimè gratos habeo: vt ſemper fe-
ciſti, Dei ſemper voluntatem operare, & ſi-
mul nobis deuotus atque fidelis, pro noſtri
imperij ſtatu ora. O quàm imitabile, tam in
ſacerdote ſacerdotibus, quàm in Rege Regi-
bus exemplum. Diſcant à ſacerdote, Regibus
Principibusque ſuis exhibere honorem, illiſ-
que ſic obtemporare, vt diuinum non negli-
gant ſeruitium. Diſcant Reges à rege, nemini
officium ſuum exequenti iraſci, diſcantque
ſacerdotibus diuina pręcepta ſeruantibus nõ
contrariare. Sciant Reges ſe ita hominibus in
negotijs mundanis eſſe præpoſitos, vt modis
omnibus dein Chriſtianæ religioni ſubijciã-
tur. Mortuꝰ eſt autem B. Ludgerus Monaſte-
rienſis protoëpiſcopus poſt multorum infi-
delium ad Chriſtianæ religionis conuerſio-
nem, multarumq; in Dei nomine virtutum
ope-

operationes, anno Regni gloriosi Regis Caroli Magni, ex quo Rex Francorum fuerat, quadragesimo primo, ex quo autem Augustus octauo, nec non pontificatus Leonis tertij, anno decimo quarto, quem in vita pariter & morte multis miraculis claruisse constat. Et postquam sedem Monasteriensis Ecclesiæ ferme viginti quatuor annis laudabiliter gubernasset, diem suum clausit supremum, & sepultus est in Ecclesia VVerdenensis Monasterij, quod ipse de facultatibus patrimonij sui fundauerat, & ædificauerat in Marcauia iuxta flumen Ruram ordinis S. Benedicti. In quo Sanctus ille vir diem se nouissimum expectaturum Domino reuelante, prædixerat, vt merito de illo Ecclesia canit:

Vita vir sanctus, verbo quoq; iustificatus.
A puero Christum mentem iactabat in ipsum.

CAPVT XXVII.

FVit iisdem fere temporibus in Frisia vir quidam religiosus parentibus Christianis, & secundum carnem nobilibus ortus, nomine VValfredus in pago, qui dicitur Bedum, deuotus fidei cultor, iustitiæ tenax, veritatis assertor, pauperum largus susceptor, verbi diuini largus auditor & factor, moribus tranquillus, in omni opere consideratus & cautus, qui accepit in timore Domini

mini vxorem de ſtirpe gentis ſuæ, ex qua ſuſcepit filium Radfridum appellatum, eratque Deo ſeruiens illa familia in caſtitate, & eleemoſynis, omnibus diebus peregrinationis ſuæ. Qui paludem, in qua manebat, vbi olim difficillime quis ambulando pergere poterat, magna pro parte iumentis pabuloſam, domeſticis vſibus fructuariam, & è vicino poſitu, acceſſibilem fecit, & quia Deum ſupplici mente diligebat, ab eo terrenæ ſuppellectilis abundanter ditatus eſt incrementis, prædict⁹ omnipotentis Dei ſeruitor, ſolebat hoc etiam cum cæteris bonis habere commune, Baſilicas ſudulò petere, cantus matutinos, & Miſſarum ſacrificia cum veſpertinis melodiis quotidie timorata mente audire, nec ab huiuſmodi intentione aliqua occupatus re, facile deſiſtere. Sed quia procul Eccleſia diſtabat, in vico qui Groningẽ vocatur, fluuio Huneſa lenibus aquis interlabente, ad quem ipſe ſemper nudatis pedibus orandi cauſa curſitauit, nec viæ prolixitate, nec hyemis rigida aſperitate præpeditus, rem neceſſariam, pontem ſcilicet ex lignis ſtructibilem, ſuper hanc dictam Huneſam, ex ſui ſumptibus, primus machinatur, non ſibi tantum conſulens, vt expeditiori curſu ad dominicum ferretur obſequium, quantum & aliis, vt abſolutius ad Eccleſiam confluendi, ſeu venalia comportandi facilior me tus
redde-

redderetur. Quod amabile opus vſq; in hodiernum diem VValfridi pons appellatur, & ob illius beneuolentiæ recordationem pro hæredibus eius vice ſucceſſoria continuo renouatur. Quodam tempore terris glaciali gelu rigeſcentibus, cum Dei famulus ſolitũ tramitem diluculo carperet diſcalceatus, quidam compater eius, qui etiam ferebatur viri Dei exemplo compunctus, euntẽ ipſum ad præfatam Eccleſiam nudis eſt pedibus aſſecutus. Interea dum aliquamdiu pariter ambularent, vir Dei reſpiciens vidit illum paululum labaſcere, parumq; expectans donec ad ſe veniret, dixit: Quid te ita moleſtat, vt prope me incedere non velis? Cui voce tremula ille reſpondit: Inhianter quippe volo, ſed non valeo, quia validiſſimo frigore congelatus, me pedes habere non ſentio. Ad quẽ Sanctus: Feſtina, meorum pedum veſtigia diligenter obſerua, quatenus licet arcto vtrumque tamen planato calle aliquanto leuius iter meum ſubſequi poſſis. Paruit ille dictis, & ſtatim humus, per quẽ vir Dei inceſſerat, ſub pedibus eius mollis & tepida eſt effecta, ex latere vtroque priſtina bruma durante. Hæc vt fidelis ille viator ſenſit, raritatem facti portinus expauit, &

Ex triſti in lætam mutatus pectore mentem,
Inceßit calidis ſancti veſtigia plantis.

Nunc nihilominus Dei hominem prophe-

phetico ſpiritu aliquoties viguiſſe, duæ (quas ante obitum prædixerat) cauſæ, poſſunt idoneam reddere fidem. Adiens enim aliquando ſæpe dictam Eccleſiam, ſolo Dei timore, non forenſis queſtus vlla cupiditate illectus, poſt religioſiſſimè auditum Miſſæ Officium, cum pauperibus & peregrinis, quaſi mendicus cum mendicis ad ſtipem ſedebat, eis de ſuis piam & deuotam exhibens refectionem, Deoque placitam. Vbi dum quidam conſanguineus eius eum conſpexiſſet inter mendicos ſedentem, inuitauit eum ad vinum cum ſodalibus ſuis, & amicis in taberna bibendum. Cui viro Dei modeſte renuente, & vt ſecum illa die morari extra tabernam ipſe vellet, deſideranter optante, ille iracundia concitatus dixit: Ad ſtipendium inopum, quaſi vnum de viliſſimis me vocas, tu enim natalium tuorum deſpector, abiectiſsimos quoſq; ſedulo vt delirus ſectaris, & ad iniuriam totius proſapiæ tuæ cum eis ſeruiliter conuerſaris. Cui tranquillum ad ad hæc ſatis homo Dei dedit reſpoſum: Gauderem non modicum (inquit) ſi mecum prandere velles, ſi tamē hæc non feceris, ego quidem dolebo, tu verò lætos exitus non habebis. Ille verò ſilice durior, contempto Dei viri verbo, tabernam concitus repetit, ſed vox tam præſagi hominis, ſuo non caruit promiſſo, vergente enim iam veſpero, prædicti

dicti Sancti derogator, stimulo suæ ebrietatis cum alio quodam rixari cœpit, nec prius destitit, quàm eo interempto peccatũ grande animæ suæ, corpori verò ex occisione iugulati, acerrimos insidiatores acciuit. Ex huius præsagij experimento, subsequens ratio veraci patuit argumento. Prædixit enim paulo ante consummationem vitæ suæ, classem Nordtmannorum iam ad littora Frisonica velificasse, contiguasque prouincias inter duo maxima flumina, id est Embsa & Lanica positas, rursum gentili contagione fœdari. Prædixit quoq; præualentibus contra totam terrã paganis, Groningę eos adnataturos, ibique se captiuandum, ac pro fide Catholica illorum manibus impuris, se morte afficiendum, quod etiam post discessum suũ, barbaris corpus eius fuerit pecunia redimendum, quasi vehiculo iñde asportandum, vbi tellure tegendum, quiue exequias celebraturi competenter iuxta fidem rerum explicauerint. Igitur Nordmanni per Oceanum euecti, vt fuerat antea vaticinatum, Frisiam applicuerunt, & strages innumeras, per loca spargentes, etiam non lætis ipsi successibus sunt excepti. Interea Groningæ plebs Deo inuisa populatur, S. Martini Ecclesia concrematur, oppidani neci ferali traduntur. Inter quos domini miles VValfridus, quasi Lucifer inter sydera rutilans capitur, mortemq; spon-

ſpontaneus pro melioribus adipiſcendis ſubit, bonam ſcilicet habens voluntatem, magis peregrinari à corpore, & præſens eſſe apud Deum. Qui rumor vbi propinquorum & conuicaneorum perculit aures, & contudit mentes, legatio celeriter dirigitur, vbi gens Deo exoſa hoſpitatur, beatum funus pecunia comparatum, ad locum deſtinatum, non ſine magnis tranſuehitur lamentis, ac ſub eius lectulo, vbi viuus antea decreuerat, ſarcophago ligneo deponitur. Ab aliis verò alia narratio, ita deducitur: In propriis illum ædibus à paganis martyrio conſumptum fuiſſe, de recondendo quippe illic corpuſculo, vtrum Dei nutu, & viri Dei præſagio, aut (vt quorundam opinio coniectat) metu barbarico, ad Eccleſiam vehendi adimente copiam, actum ſit: nihil differre credimus, dum hoc publicis ſanationum experimentis ſit atteſtatum ab omnipotente Deo, ſancto locum, ſanctumque loco delectatum. His taliter perpetratis, Nordtmannis recedentibus, quid de filio venerabilis viri Radfridi actum ſit, anxia genetrix, accitum domum vernaculum ſuum direxit, ad luſtranda vbique arundineta, vt ſi fortè inueniendi daretur facultas, vltimum quod erat ſolatium, ſaltem domum deducere ſtuduiſſet. Paruit homo imperatis, demumque diutina indagatione laſſatus, haud procul il-

lum ad occiduam domus plagam, vbi maxima ranarum ſpiſſitudo inerat, perfoſſum ſpeculis inuenit exanimem. Quem ilicò per ſe ſuſtollere conatus eſt, ſed corporis impediente grauamine, ad hoc nullo modo ſufficere potuit, qui tandem animum ad hoc coaptauit, vt ſi poſſet, eum ibidem de foſſa tellure ſepeliret. Quod eo cogitante, tanta cadaueris ſubſecuta eſt leuitas, vt nullum penitus oneris faſtidium ſentiret, leuitate tandem cadaueris allectus, aſportare iterum intendit, ſed pari & prius grauedine, corporis moles rigeſcere cœpit. Hoc ſentiens iterum, verſa vice ſit eleuabilis, ſicque denis vel amplius vicibus alternans, in eodem tandem loco, puluis puueri pulucrem commendauit. Quo in loco ſperatur hominis Chriſtiani pro Chriſti nomine occiſi Radfridi videlicet pignora, Dei diſpoſitione ad præſtanda fidelibus beneficia, adhuc eſſe reuelāda. Non multis poſt modum annis diſcurſis, quum iam Domino viſum fuiſſet famuli VValfridi piam remunerare fidelitatem, cælitus miniſtrata ad eius ſepulchrū nocte viſa ſunt lumina micuiſſe, vt quàm clara & viuifica in cœlis luce fulgeret, cunctis è vicino degentibus claruiſſet. Nonnullis denique æſtu diutino febricitantibus, per ſomnum aliter eſt alijs reuelatum, ſua ad eiuſdem Sancti locum vouere, & reddere itinera, ſi vellent debilitatum ſuarum

inue-

inuenire remedia. Quos continuò vota soluentes, spes nō fefellit, sed illis sanitatem adeptis, per remotiores etiam vicos Sancti volitauit opinio. Omnigenis tandem turmatim confluentibus populis, & singulorū prosperitatis desiderijs, mediocritas exuberat loci, & Basilica nobilibus ibidem erigitur artificijs columnata, quę à Mingardensis Ecclesiæ venerabili Antistite (cuius modò non recolimus nomen) in honorem pijssimi martyris Domini, Sanctique Pauli consecrata est, sub huiusmodi diei lætitia, B. VValfredi reliquiæ, officioso cleri apparatu, & populi applaudente fauore, in theca lignea super altare sunt reclusæ.

CAPVT XXVIII.

FVerunt eo tempore in Frisia quinque populi in Insula, quæ dicitur *de Bandt*, qui Christianam fidem nondum susceperant, quorum nomina hęc fuerunt, Hugomertsen nunc Merna, Hunsegonia, Fimelegonia, Emsingonia, Reidergonia, ab orientali parte fluminis Lani siue Lauicę, qui omnes diuina aspirante gratia, missis legatis ad Carolum Magnum spondebant se Christianam accepturos fidem, dummodo Rex illis quempiam mitteredignaretur à quo fidem addiscerent, cuiusque loquelam intelligerent. Misit ergo Rex, & præfecit eis S. Ludge-

rum, qui non solum Frisonicam linguam perfectè nouit, vti Friso ex vtroque parente natus, ac in Frisia nutrit⁹ & educatus, sed & Latinam, Germaniam, Anglicam & Gallicã perpulchrè calluit, qui ibidé breui admodũ tempore, omnia idolorum phana destruens, ea in Ecclesias dei commutauit. Huius fidei testes sunt vsque hodie populi eiusdem regionis, & sic (vt adhuc est in memoria) omné populum, qui est inter Lauicam & Amasum fluuium per Euangelium & baptismatis lauachrum in Christo regenerans, ad veritatis cognitionem vocauit. Fuerunt enim illi antiqui Frisij idololatriæ maximè dediti, & habuerunt magnifica atque amplissima delubra, multorumq; deorum statuas atque idola ex ære & cupro confecta. Et adhuc hodie conspicitur in Monasterio Rottum, Abbatia ordinis B. Benedicti, delubrum quoddã antiquissimi operis, iam præposituræ templum, vbi ad omne testudinis latus, idola Frisonica ex ære immolabantur. Et in eo centũ idolorum fuisse imagines, ab antiquorum relatione, potius quàm approbatione sunt adducta, quas miseri illi homines tum infelici cæcitate obruti adorabant, illis dicabant, ab illis & consilium & auxilium implorabãt, decipiente diabolo, & per ora eorum fictitia loquente, & dante responsum populo insipienti, & pleno peccatis. Et cum in delubro

popu-

populum ſacrificandi gratia conuocare ſolebant, in editiſſimam delubri turrim nonnulli, alij in eminentiorem quendam collem conſcendebant, voce altiſſima æris campanæ vicem ſupplentes, inclamabant populum alternatis aut trinis vicibus ſermone patrio, *Kum tho tyarcka Pyre en Pou.* id eſt, venite ad delubrum, venite ad delubrum Petre & paule. Hæc idola pectoribus pingebantur armatis, galeam in capite geſtãtia, brachijs & pedibus nudis, in dorſo alias habebant, quibus per aera volitaſſe fabulabantur. Medeam aut Phoſetam hanc imaginem fingentes, quæ in omni Friſia dominabantur, & maximè in Medéblick & Phoſetanea terra, quam Hilgerlandiam vocant, vbi antea Radbodum Regem Friſiorum ſedem ſuam habuiſſe, pallatiumque ſuum obtinuiſſe, diximus, vnde & loca nomina ſunt ſortita. Præterea Fredam & VVoedam incredibili veneratione proſecuti diem Veneris, in eius honorem æternæ cõmemorationi conſecrabant, & pro Deo colebant, in dextera manu ſagittam, & in ſiniſtra aceruum frumenti preferentem, per quã à fame præſeruari, frugibuſque & omnium bonorum affluentia ſe beari credebant. Sũt qui dicãt hanc Martis imaginem fuiſſe, cuius patrocinio vtebantur in prælijs. Hæc omnia idola (baptiſmate aſſumpto) à Carolo Magno ſubuerſa ſunt, & in hunc diem ad perpetuam

rei gestæ memoriã Traiecti in archiuis Collegij D. Mariæ virginis, tria adhuc reseruantur & visuntur Frisiorum idola, quæ ego meis oculis vidi, & in manibus habui. Est autem Traiectum inferius vulgari nomine *VVtrecht*, ciuitas Frisiæ, antiquitus Vtricesium, teste B. Rhenano, appellata, & ab ipso origine Antonina nuncupata, iam Batauorum & Hollandiæ oppidũ, de cuius origine dicit Chronica Traiectensis, quod tempore Neronis Imperatoris, omnis prouinciæ & iustitiæ persequutoris, qui cœpit regnare anno incarnationis Domini 55. proscripti fuerunt Granus senator, & Anthonius tribunus cum omni familia sua. Granus veniens in Galliam Belgicam ad locũ vbi inuenit aquas calidas, condidit ibi munitionem, quam ex suo nomine, & aquis ibidem inuentis appellauit Aquisgranum, & habitauit illic. Anthonius verò vlterius descendens fundauit ciuitatem, vbi nunc est Traiectum, anno post natiuitatem Domini 56. & vocauit eam ex suo nomine Anthoninã, quæ durauit annis 121. Deinde anno Domini 186. Vilti, qui nunc Hollandi vocãtur, incursione sua Anthoninã destruxerunt, & ædificarunt ibi castrum nomine suo dictum VViltenburch, & destructo eo, deuictisque Frisonibus Viltis & Slauis, tandem ędificatum est ibidem nouum castrum validissimum in loco, quo steterat

VVi

VViltenburch, & inditum est ei nomen Traiectum, à traiectione rerũ, quę illo in loco per Rhenum fiebat, sic dictum. Et antiquitus cũ magna sui territorij parte, ad Frisiam spectasse, Regesque Frisiorum ibi habitasse liquido constat, propterea bene allusit Aeneas Syluius Traiecto, in sua descriptione Europeæ, vbi dicit Traiectenses, quandoq; se Frisios, quandoque Hollandinos appellare. Annales habent ibi olim temporibus Iulij Cæsaris fuisse arcem firmissimã, quę dicebatur VViltenburch, in qua Radbodus Rex Frisiæ habitare solebat, & postea habitationes & domus multas huic arci adiunctas, ac tandem in oppidum succreuisse. In quo sicut & in aliis multis locis euenit, vtputa Fulda & Monasterij VVestphaliæ oppido, vbi primum fuerunt Monasteria, & pedetentim coniuncta ædibus, creuerunt in ciuitates magnas. Sunt qui putant Episcopatum Coloniensem olim Traiecti fuisse, & postquam Traiectum per Danos & Frisios fuit direptum & deuastatum, Archiepiscopatus tempore Bonifacij, aut paulo ante eius tempora, circa annum Christi 755. fuit Coloniam translatus. Deinde Carolus Magnus rursus Traiecti erexit Episcopatum, qui adhuc hodie est, donauitque terris atque hominibus, qui & multas sanctorum reliquias ad istum locum adferri fecit, quæ adhuc ibi visuntur. Annales Tra-

iectensium habent, quod Conradus Episcopus, ad felicis suæ recordationis memoriam, ex palude quadam superædificare proposuit Collegium Canonicorum D. Mariæ virginis in occidua parte ciuitatis, qui fundum adeo lutosum ibi reperit, quod bases & fundamenta pilarum stabilire non posset. Fuit autem in latomorum consortio quidam Friso nomine Pleberus, qui sub proprij capitis pœna, fundamenta Ecclesiæ stabilire iactitabat, sed immoderatum præmium pecuniarumque summam inde exegit, quapropter Episcopus largis xeniis à filio Frisonis arcana patris expiscatus, inchoatam Ecclesiã, in honorem S. Genitricis magnifico opere construxit & perfecit. Quamobrem prædictus Friso ira accensus, anno Domini 1099. dictum Episcopum post Missarum solemnia capta opportunitate, violenta manu interfecit. In quo Collegio duo cornua monocerotis longitudinis bicubitalis, precij inæstimabilis in archiuis summo in precio habentur, quæ ad venenum depellendum conducere ferunt. Imperante autem post Carolum filio eius Ludouico Pio, celebrauit is Aquisgrani Synodum, conuocatis ex Germania & aliis nationibus doctis viris, statuit extirpare vitia & abusus Ecclesiæ. At Carolus Caluus aliquot annis post Carolum Magnum instituens Hollandiæ Comitatum, spoliauit nonnihil

nil Episcopatum, secreuitque dominium ab altero. Episcopatus habet arces & ciuitates plurimas incipientes à Traiecto, & vltra Iselam vsque Suollam, Steinvvykam, & Vollenhouen se extendens. Vrbs Traiectum est antiqua, diues & populosa, in qua Rhenus medio defluit, & quasi interſecat, forma viris & mulieribus pulcherrima, ab exterorum incursu propria virtute defendi potest. Episcopus enim quadraginta milia pugnatorum, siquando necessitas ingruit, & bellum ipsi aliunde immineat, ad prælium educere potest, & sua aduersus hostium vim defendere, & præcipuè hoc nomine clara, quod in ea natus sit Adrianus S. Pontifex, vir singulari sanctitate & doctrina præditus, bonarum literarum antistes, & præceptor Caroli quinti Imperatoris, ex cuius intercessione, ad culmen Pontificatus euectus. Multæ olim in hac ciuitate fuerunt seditiones, cum Episcopis ab vna parte acceptis, ab altera parte recusatis. Arcem firmissimam, qua ciues in officio retineri possent, ibidem Carolus V. Imperator, anno Domini 1528. extrui fecit, vulgato nomine *Vreburch*, siue pacis arcem, iuxta distichon portæ arcis inscriptum.

Arx dicor pacis, à Carolo condita quinto,
Statio grata bonis, sed ferrea virga malignis.

Requiescunt in Basilica Traiectensi mul-

torum ſanctorum corpora. Ibi etiam floruit S. Martinus Epiſcopus. Quid plura poſſem referre de magnificentia huius vrbis, & pia politia, & magiſtratuum ſacra gubernatione & iuſtitia? Eſt & diues opibus, & ſumptuoſis ædibus atque Senatorio ordine magnificentiſſimo decorata. Certè hodie vetuſtiſſima Friſiæ vrbs & regalis, quæ priſcam magnificentiam opibus & magnitudine longè ſuperat.

CAPVT XXIX.

MVltos habuit hæc ciuitas Epiſcopos Friſios, prout ex ſequentis catalogi inſcriptione videre licet, & inter cæteros B. Fredericum de Adelen. Hic Fredericus fuit octauus Traiectenſis Eccleſię Epiſcopus in Sexberum prope Franekeram de caſtro Adelen ex nobilibus parentibus ort⁹, cuius cognatio in hodiernum vſque diem inter nobiles Friſiæ nõ eſt extrema. Siquidé mater Frederici (vt in quibuſdam haud cõtemnendis Chronicis legitur) dicta Cronouella filia Aldigildi eius nominis ſecũdi Regis Friſię, cuius pater Radbodus Rex, ei⁹ nominis primus, habuitque hæc fratres Gundebaldum penultimum Regem Friſiæ, qui cũ Rolando pro fide Catholica occubuit; & Radbodum eius nominis ſecundum & vltimum Friſiæ Regé, & amiſſo Regno, vt quibuſ-

busdam placet, dominum Egmondensem, a quo orti sunt domini Egmondenses. Hunc itaque Fredericum, mater eius in prima ętate, quibusdam religiosis committens, rogauit vt eum sanctæ religionis docerent semitas, multasque vitare consuetudines, deinde (licet patre inuito) tamen eum Traiectum vsque perduxerunt. Episcopus autem Rixfridus spiritu prophetico præuidens, quod in Pontificali regimine post mortē sibi succederet, eum quasi filium & hæredē liberalibus simul & Ecclesiasticis ad liquidum fecit imbui doctrinis: erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus, neminem lædebat, neminem defraudabat, nemini, quod sibi fieri noluit, fecit. Idcirco dominus Rixfridus, quum talibus eum fulgere videret virtutibus, est nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsumque ordinauit presbyterum. Nomen autem eius propter vitę sanctimoniam, per vniuersam celebre factum est terram, ita vt etiam Regias verberaret aures. Anno Domini 814. die vigesima octaua Ianuarij, obijt Aquisgrani Carolus Magnus Francorum Rex & Romanorum Imperator, cui in Regno & Imperio successit filius eius Ludouicus, cognomēto Pius, vir mitis, religiosus, ac pius, & qui nullis potuit exasperare iniurijs; cuius prima vxor Eringarda peperit ei

duos

duos filios Lotharium & Ludouicum, post mortem autem Eringardę Ludouicus aliam duxit vxorem, filiam videlicet VVelphonis ducis Bauariæ, Iudith nomine, quæ neptis erat ipsius Ludouici, & idcirco illicitum nephariumque ab omnibus Episcopis Galliæ pronunciatum est matrimonium, atque post Canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationem sui Regni minabantur. Qui, ne excommunicaretur, relicta Gallia venit in Germaniam. Hæc dum ita agerentur, moritur interea Rixfridus Episcopus Traiectensis, natione Friso, doctrina & sanctitate insignis, anno Domini 821. quinto die mensis Octobris, quo honorificè sepulto, Clerus & populus vnanimiter eligunt Episcopum Fredericum. Interim Ludouicus Caroli Magni filius, qui tunc ne excommunicaretur ab Episcopis, propter neptem suam, quam in vxoré duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum cum ea morabatur. Comperto itaque Rixfridi Episcopi obitu, per legatos suos mandauit senioribus Ecclesiæ Traiectensis, vt Fredericum Episcopum acceptarent, & electum ad eius ducerent palatium, præsciens totum populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus Episcopus cum senioribus Ecclesiæ Traiectensis surgens perrexit ad Regem, qui illum, accersitis Episcopis

aliis,

aliis, licet inuitum & multum renitentem, in sua præsentia iussit ordinari Episcopum. Quo peracto, Imperator Clerum & omnes qui aderant nobiles pariter & ignobiles, ad suum inuitauit conuiuium, atque propter viri amorem, diem illum cum magna lætitia terebat ad vesperam. Peracto conuiuio Rex secũ, in animo voluens, se fortè propter illicitum connubium, in futurum posse à B. Frederico maledici, iussit illum accersiri, & corã iis, qui aderant Episcopis, talibus alloquitur verbis: Elegit te, charissime, Domin' sibi in sacerdotem magnum, quoniam te ad hoc munus cognouit idoneum, vt tua sancta prędicatione populum peccatorem conuertas ad Dominum. Est igitur populus in tua Diœcesi, in insula dicta Valatoria, in qua (proh dolor) vt ad meas peruenit aures, vnusquisque neptem, aut, quod peius est, sororem, vel ipsam in matrimonium ducit genitricem. Quapropter te per Deum viuum & verum adiuro, vt si quis nobilis aut ignobilis, domin' aut seruus, diues aut inops, à religione Christiana aberrauerit, & talibus, quæ supra diximus, se polluerit criminibus, quàm primũ ad tuum peruenerit auditum, illũ corrigas: & si correptus de sua praua non reuersus fuerit via, & te & Ecclesiam non audierit, excommunicatione omnium in Deum credentium, authoritate tibi data separes

pares

pares ac condemnes, vt sit tibi sicut ethnicus & publicanus, donec ad Deum nostrum redierit, qui semper paratus est ad miserandum, si quis vera pœnitentia ductus, conuersus fuerit. Quo dicto Præsul gloriosius ingemuit, Regique respondit: Magno quidem iuramento me obstringit vestra Maiestas, Cæsar Auguste, sed an salua tua gratia hęc facere possim, mihi dicito. Cui Rex: Non solum salua mea pace hæc facies, sed etiam si volueris, adiutorem viæ in omnibus habebis me paratum. Hæc idcirco obiter annotare operæpretium duxi, quia martyrij causa B. Frederici fuit, vt sequenti capitulo dicetur.

CAPVT XXX.

TVnc Præsul suo officio satisfacturus, iniustas nuptias accusans, Regi ait: Dic mihi quęso Imperator, à qua parte corporis piscis est manducandus, an rectius à cauda, vel à capite sit edendus? an primum in altum sit erigendus murus, & postea collocandum fundamentũ. Rex vt audiuit, miratus est, quid sibi vellet talis interrogatio, respondit: Piscis, vt opinor, à capite manducandus erit, & sic ad caudam vsq; consumendus: fundamentum in primis collocatur, sine fundamento opus minimè stabilitur. Bene (inquit S. Fredericus) iudicasti, idcirco te, quem caput & fundamentum Reipub. præfecit

fecit Deus, vt bonum cunctis existeres exemplum, aggrediar, vt demptis ex capite vitiis, ac fundamento firmiter collocato, per corpus ad caudam possim Dei auxilio venire, & murum in altum erigere. Habes itaque mi Imperator, in coniugio tibi iunctam Iudith neptem tuam, VVelphonis Bauorum ducis filiam, quam nisi dimiseris, & pro commissis Deo pœnitentiam egeris, maximum tui regni futurum prædico tibi excidium, & hunc sermonem Dominicum in te veraciter cõplendum: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum: tradet frater fratrẽ in mortem, pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte afficient eos, & totum ab incursione Danorum depopulabitur regnũ tuum. Hæc si tuis non fuerint temporibus impleta, pro certo poteris (Deo propitio) sine crimine ista vti fœmina. Cæterum completa quæ prædixi si extiterint, scito tuas nuptias in conspectu Dei gratas non fuisse: scriptum est enim; Omnis homo, ad ptoximam sanguinis sui non accedat, vt reueletur turpitudo eius. Et Paulus Apostolus ait: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus: tibi enim, Domine Rex, si foret coniunx etiam ex tuo sanguine, deberes nihilominus attendere, quid idem Apostolus diuinitus doceat, dicens: Qui habent vxores, sint tamquam non habentes. Et B. Gregorius in Canonibus di-

cit:

cit: Si quis duxerit neptem in coniugem: anathema sit. Propterea si tormentum vis euadere perpetuum, & ad regnum peruenire cælorum, vera ductus pœnitentia, spretoque tali coniugio, conuertaris ad Dominum, vt tuum tibi dimittat commissum. Vana mundi huius est gloria, & omnis caro fœnum. Hæc dum S. Præsul ad separandum tam inuisum coniugium, ex sacris proferret testimonia, tamque piè paterneque admoneret Regem, quò maxima doctrinæ suæ perseuerantia, studium Regis à sententia reuocaret, vt publicam suæ vitę infamiam publica morum conuersione castigaret, vidit tamen Regem ea minus quàm debuit animaduertere, quare iterum ad Regem ait: O Imperator, secundum Apostolum, Dominum Deum timebimus, eiusque mandata custodiemus, te autem honorare, & in bonis actibus consentire, in malis autem resistere & corrigere decet, Domino teste, qui per Prophetam Ezechielem ait: Si non fueris locutus, vt custodiat se impius à via sua, & ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem eius de manu tua requiram. Quapropter, Domine Rex, si tua tibi non annunciauerimus peccata, teque non arguerimus, vt ab impietate tua conuertaris & viuas, & nos non increpassemus te, quia nobis peccantibus peccares, flammis nos Deus perderet gehennæ. A quo
cum

um Rex per ſacram ac ſalutarem admoni-
ionem inceſti reus ageretur, ita eſt commo-
us, vbi vix ea dixiſſet Epiſcopus, quin re-
entè ſanior effectus, Rex animo mutato,
& nulla Regiæ dignitatis ratione habita, la-
hrymatus ſit valde, & pœnitentia ductus,
limiſſis præ rubore in terram oculis, ſuſpi-
ans ait: Peccaui, & à via veritatis erraui, re-
m me reddo, veſtroque ſubiectus iudicio,
ibenter me de commiſſis emendabo, & in-
eptæ vitæ inſtitutũ mutabo. His finitis ſer-
nonibus, beatum virũ cum cæteris Pontifi-
ibus vocabat ad prandium, ac deinde cum
ummo honore remiſit Traiectum. Cumq́;
B. Fredericus commiſſam cupiens viſitare
Diœceſim, ad Inſulam iam dictam, primũ
ob Euangelizandi ſtudium iter ſuum diſ-
poſuit, ventoque proſpero Valachriæ ap-
plicuit, atq; ita docuit, vt poſt labores, om-
nes incolæ pœnitentiam agentes, fœda re-
linquerent coniugia. Interim Iudith Regi-
na, nunc per epiſtolas, nunc innumerabiles
offerendo gazas, Sanctum virum ad id co-
nabatur flectere, vti authoritate ſibi tradi-
ta, eis licentiam in coniugio permanendi
concederet. Ille autem correptioni inſi-
ſtens, talia ſine S. Pontificis aliorumq́; Præ-
ſulum decretis fieri minimè poſſe dicebat.
Regina obcæcata amore, religionis potius
quàm nuptiarum deſertrix eſſe malens,

multis de caufis Deo charum cœpit accufare Epifcopum, atque animo voluere, qualiter eum poffet perdere. Itaque vexationis impatiens, plus crudelitati fuæ, quàm facrofancti iuris viribus indulgendum rata, inuidiæ zelo duos ficarios in mortem Sancti viri coniurare fecit, qui Traiectum adeuntes, Epifcopo facris intento, nunciari faciunt, fe folemni legatione ab Imperatore miffos, habere quæ cum eo colloquantur. Epifcopus verò diuina infpiratione propinquam fibi necẽ inftare animaduertens, iuffit ficarios ad finem Miffæ expectare. Deinde religioni vacando, officia fanctitatis exequitur, atque poft lectionem Euangelij concionatus eft populo, ac fub ipfa concione diuinitus de morte fua impendente fe admonitum effe dixit, nimirum eodem fe die cibum perpetuum capturum, cum omnibus Sanctis in regno cælorum. Sacrificio igitur peracto, S. Antiftes adhuc ornatus, facrarium S. Iohannis Euangeliftæ, in quo fibi farcophagum ordinauerat fubintrans, vbi pro conftantia paffionis expanfis vtrimq; brachiis proftratus, percuffores expectat, atque deuotas preces fundens, ad fe admiffos inquit: Veftram, ficut præceptum eft vobis, adimplete legationem, priufquam enim huc veniftis, præfciui. Tunc illi cultellis ex manicis extractis, irruerunt in S. Epifcopum,

pum, ac interfecerunt ipſum, atque ex domo Dei, ſpeluncam fecerunt latronum. Sed martyr Dei corpus, quibus poterat viribus immobile retinuit, atque ne ſanguis & inteſtina effluerent, vulnera conſtrinxit, atque homicidas admonuit, vt fugam caperent, ne comprehenderentur. Neque antè loco quo cubabat, exceſſit, quàm feretro imponeretur, ex cuius ſanctiſſimis vulneribus plus gloriæ, quàm cruoris effluxit. Vt merito in laudem & decus iſtius Sancti viri, verſiculi ſequentes recitari poſſint:

Hic ſublimatus ſit in ordine Pontificatus,
Moribus ornatus, doctus vitaq́ʒ beatus.

Tales fuerunt hi Epiſcopi primitiuæ fidei præcones, vt non modò præeſſe, ſed prodeſſe populo & gregi Dominico ſibi commiſſo, omni periculo contempto fideliter tueri, & animas Deo lucrari poſſent. Noſtra feliciora videntur eſſe tempora, vbi Euangelizandi miniſterium Epiſcopi relegant in ſacellanos, ipſi interim ſuperintendentes. Illud porro ſcelus haud ſegnius quàm iuſtitias Deus vindicauit: nam paruo poſt tempore, à Nortmannis aliiſque Barbaris, non ſolum Friſia, ſed tota Germania adeo eſt vaſtata, vt abſumptis incolis longo tempore terra in ſolitudinem ſit redacta, tribulos & ſpinas gigneret.

CAPVT XXXI.

LVdouico primo cognomento Pio, anno 840. vita functo, succeſſit ei in regno Lotharius filius eius, quo tempore VVedekindus Dux Saxonum, in eam excreuit audaciam, vt deſcenderet in Friſiam, cuncta ibi cædibus, incendiis & rapinis impleret, templa Chriſti deſtruendo, & quoſcumq; fideles aut iugulando, aut exulando perderet in tantum, quod maior pars Friſiæ, vſque ad terminos occidentales ripæ Fleui fluminis, à ſyncera Chriſti fide, ad hæreſeos errorem deficeret: fecit enim vt populus de veritate indiuiduæ Trinitatis dubitare cœperit, ita vt Sabellij, Ariique ſectam, ſecundo putares exortam & diſſeminatam eſſe. Itaque eo tempore venit in Friſiam S. Odulphus, atque pagos & villas docendo peragrans, quò per ſemetipſum, aut per ſuos ſodales ferocem gentem ad viam veritatis reduceret. Et traiecto fluuio Fleuo Stauriam peruenit, vbi aliquamdiu permanſit, ac Friſios prædicando inſtituit, ſanctamque in Deitate Trinitatem, & vnitatem in Trinitate eſſe, docens: & multos ad veritatis viam conuertit, crebris admonitionibus arguēdo atque increpando, ita vt homines, qui antea erant quaſi lupi ferores, ſalutari dogmate manſuefacti, in oues Chriſti ſint conuerſi

uersi. Hæc sub Lothario Imperatore contigisse Annales referunt. Erant circa id tempus passim in Frisia multa laruarum infernalium spectra, quæ in paruo quodam eminentis collis supercilio subterraneum habebant specum, absque humana ope artificio præstigioso extructum, in quo residebant, quas antiqui vocabant Albas Nymphas, siue vulgari gentis sermone, *VVitte vvyvven*, harum speciem adumbratam, non veram fuisse, constat: quæ solebant nocturnos viatores, gregumque & armentorum intentos excubiis, & puerperas cum infantibus sæpissime in abdita sua & subterranea antra clanculum abducere, in quibus subinde subterranei murmuris sonus, atque etiam vagitus infantium auditi sunt, & præterea etiam ingens gemitus & fletus hominum, & quandoque Musarum concentus, & voces dubia aure colligebantur.

Qua de causa magna fiebat custodia prægnantium mulierum, & paruulorum infantium, ne ab istis Nymphis infernalibus clam abriperentur. Quæ omnes dæmonum illusiones, post agnitum syncerum Dei Euangelium, euanuerunt, & in nihilum redactæ sunt. Scripsit enim S. Odulphus contra eiuscemodi illusiones dæmonum Chartam de S. Trinitate, quam per Ecclesias & parochias Frisiæ sacerdotibus misit, vt si schisma de-

nuo oriretur in populo, frequenter public[e] legeretur. Hæc pro rei nouitate, paucis an[notare] notanda putaui. Et extat exemplar Charta[e] in hunc modum:

Aeternus est pater, ęternus est filius, æternus est & Spirit⁹ Sāctus: distinctio est in personis, vnitas agnoscitur in natura. Omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus, trinus quidem nomine, sed vna virtus, & potentia. filius à patre incomprehensibiliter genit⁹. Spiritus sanctus procedens ineffabiliter, potestas non accedens, sed perpetua indiuidua manens, summitas sociabilis, regnum sine fine, gloria sempiterna, quæ sola creat, sola peccata dimittit, & cælorum regna concedit. His ita gestis, beatus ille Vir communi Clericorum & laicorum voto, pro pastore Staurienſis Ecclesiæ eligitur, vt populum in Frisia nuper ab errore reductum, erudiendo sanaret, & ab antiqui hostis mortifera fauce salubriter eriperet. Hæc sunt, candide Lector, quæ in gratiam tuam ex diuersis authorum monumētis, & ex viris fide dignis contulimus, tuum erit ea boni consulere, & si id feceris, à nobis & plura & meliora deinceps expectare.

FINIS LIBRI Tertij.

CATALOGVS EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM, qui fuerunt Frisones.

Albricus quartus Episcopus, ex Regio sanguine Fri-onum in Anglia natus, missus à Sancto Ludgero in Doccum post mortem Sancti Bonifacij. obijt Anno 794.

Theodardus vel Tetardus quintus Episcopus, na-tione Friso, fuit vir omni veneratione dignus. obijt Anno 800.

Hormocardus Episcopus, vir Deo deditus Friso na-tus. Obijt quinto Calendas Decembris, Anno Chri-sti 827. secundum alios fuit Anglicus, ex Regno Hū-ritano.

4 *Rixfridus septimus Episcopus, vir doctus & humi-lis Friso natus, obijt tertia Nonas Octobris Anno à Christo nato, 836. Huius iussu beatus Ludgerus, tunc Monasteriensis Episcopus, conscripsit eleganti stylo li-brum de miraculis & canonizatione Sancti Suitberti Episcopi Verdensis.*

Fredericus Friso, octauus fuit Episcopus nobilibus parentibus, de castro Adelen in Sexberum prope Fra-nikeram natus, vir doctus, sanctus, & martyr coro-natus, viuus sepulchrum intrauit, & spiritum Deo reddidit, cuius mater fuit Cronouella, filia Algildi Regis Frisiorum. Obijt Anno 838. octauo Iulij, & cum corpus eius terræ traderetur, miri odoris fragran-tia, tota repleta est Ecclesia, vt omnis præsens turba

perspicuè sentiret, angelicam adesse cateruam.
6 Alfricus nonus Episcopus, iste frater fuit germanu
Sancti Frederici prædicti, vir bonus, & Sanctus, cuiu
tempore Dani irruptionem fecerunt in Frisiam, iuxt
prophetiam Sancti Frederici. obijt Anno 846.
7 Ludgerus decimus, Friso fuit, vir Sanctus & reli
giosus, obijt nono Calendas Maij, Anno 856.
8 Hungerus vndecimus Episcopus Friso, fuit vir san
ctus & doctus, sub ipso Episcopo Dani & Nordman
ni Frisiam ac Hollandiam denuo vastauerunt, ac Tra
iectum multis iugulatis, vi expugnarunt. Eodē tem
pore Theodoricus factus est primus Comes Hollandia
9 Odibaldus duodecimus Episcopus, vir sanctus &
pius fuit, & etiam Friso. Obijt Idibus Decembris, an
no 904.
10 Egilboldus decimus tertius Episcopus, Friso
fuit vir bonus & sanctus, & præfuit decem mensibu
Ecclesiæ Traiectensi.
11 Radbodus decimus quartus Episcopus, Friso d
Grouvve, fuit pronepos Radbodi, quondam Regis Fri
siæ, habuitq; Guntarium Archiepiscopum Colonien-
sem auunculum, vir bonus & Sanctus, spiritu prophe-
tico pollens. Et interpretatur hoc nomen Radbodu
idiomate germanico idem quod Consilij nuncius
fuit certe hic Episcopus magni consilij Angelus. Com
posuit enim Historiam translationis Sancti Martini
qua nunc temporis vtitur Ecclesia. Et cum Frisia
Danis atq; Nordmannis depopularetur, atq; Traie
ctum ciuitas vastaretur, furori atq; persecutioni ho
stium cedens, Dauentriæ sibi constituit mansionem
& obijt Anno domini 917. in Oetmersum, tertio Ca
lenda

lendas Decembris, & corpus eius Dauentriam translatum, atq; ibidem honorificè tumulatum est.

2 Folkmarus decimus sext⁹ Episcopus Friso fuit, atq; otus vir bonus ac Sanctus. obijt Anno domini 977. tertio Idus Decembris.

3 Adelbaldus vigesimus Episcopus, nobilis Friso, fuit primus Episcoporum, qui bellauit contra Hollandiæ Comitem Theodoricum quartum, & tamē bonus & & vtilis Ecclesiæ, commendatur. Obijt anno 1021.

4 Godebaldus vigesimus quartus Episcopus, Friso fuit, & amator religionis. Iste fundauit Monasterium Sancti Benedicti in Oesterbroeck, & relicto Episcopatu, intrauit Monasterium.

15 Harbartus vigesimus sextus Episcopus, fuit Friso de Bierum, vir bonus & religiosus. Obijt Anno domini 1150. tertio Nonas Nouembris.

Hi omnes quindecim prædicti Episcopi Traiectenses, ex Frisonibus nati fuerunt, ex quorum petitionibus Hendricus quartus, & Conradus tertius Imperatores, dederunt Ecclesiæ, & Episcopis Traiectensibus spiritualem Iurisdictionem in Frisia, Regna conquisierunt æterna, per summæ pietatis merita. Moderni verò Episcopi, si sua in pace et tranquillitate, rerumq; abundantia transigant tempora, felices sunt, & vocantur dum viuunt, sancti Patres, bene etiam, si hoc nomen retinent, in morte.

FINIS CATALOGI EPISCOporum Traiectensium, qui fuerunt Frisones.

Errata in absentia Authoris commissa, sic corrigito.

Fol.2.ver.6.Saxoniæ.v.16.precium.v.19.ſcriptorum v:28.conſcripturi,quia.f.3.v.6.ferarum.f.4.v.7.mir būdi.v.20.impinguantur. f.6.v.25.voluptuoſius. f.7 v.14.ignis.v.22.adiectam.f.8.v.28.abducuntq́;. f.9.v 27.nimio.f.10.v.13.vices. f.11.v.12.commotum.v.26 formidabiles.f.12.v.1.qui.v.12.plúsne.v.25.locuſtres f.14.v.16.ſtabulis.f.15.v.5.puniceis.v.17.Domini 494 v.19. 1520.ac denuo. f.16. v.13.VVolt. v.17.irriguæ v.28.multis enim. f.19.v.9 ſufficiunt,ſed etiam. f.12 v.19.Manormonim atq; Lauum. f.22.v.30.& ſalmones.f.23.v.27.accommoda. f.24.v.20.Metropolis Friſię Groninga.v.22.adepto Papatu.v.23.Europea.f.25 v.23.poſſit.v.29.parte gentis. f.27.v.20.poſſunt. f.28 v.7.ſchoete.v.11.ſimulare v.20.præliabantur.v.21.audaciſſimè.f.29.v.4.fryſche dagge ofte een friſche korde.v.13.robuſtiſſimos. v.26.filiorumq́;. f.31.v.12.ipſi. f. 32.v.19.Friſonū,Saxonum ac VVeſtphalorum.f.35. v.13.ſeſe in.f.37.v.1.quoſq; ac.f.44.v.23.an etiā. f.49. v.7.Bern-lona.v.16.depoſuiſſe. f.51.v.21.immoror.f. 53. v.22.nomineHorſa,& fuerūt filij,vt quidā tradūt, Vetgiſti.f.54.v.5.ſic à.v.12.circūplexus.v.18.ſocios ſuos Bri.f.55.v.23.non,abūdat.v.26.eos.f.58.v.15.diſtringerētur. f.62.v.15.reliquiæ.v.16.apud ruricolas. f.64. v.3.quod vir.f.66.v.28.intus in. f.67.v.22.oppidatim corpus eius pungētibus, donec moreretur. Eſt etiam ſemper mulier ad viri imperium,&c. f.68. v.29. rara. f.71.v.10.quod tū. v.15.ſtudere. f.74.v.24.patrio more,ſcutellam Friſonicam,in qua quatuordecim genera eduliorum,non quidem confuſa, ſed ſeparata atq; diſcreta reponūtur.f.75.v.10.bubula.f.76.v.2.farciendi.f.77.v.26.hortētur.f.80.v.20.defluerēt.v.27.ſaltat f.84.v.1.depoſitis. v.8.peplóue.v.15.at ditiores latiſſimas habent.f.87.v.2.Omnis, f.89.v.26.deſuetudinē. f.90.v.7.vel commiſſarium. f.92.v.3.zelat.f.94.v.17. iniurias verò. f.98.v.5.alicubi. v.12.habitabant. v.15. iraſcebantur.v.17.Hodie ſi quis. f.99.v.4.Nunc in.v. 31.aliqui.f.101.v.2.abutunturq́;.f.102.v.30.ſacram æ-

dem .f.107.v.7.Vleelant. f.109.v.21.cõparar[illegible]
iue.f.110.v.14.toto.v.18.longo & [illegible]10. f.111.v.5.
obstruct⁹.f.112.v.12.possin[illegible] .20.indicia.f.113.v.2.os
avidere.f.114.v.10 [illegible]ceca.f.116.v.5.Schmallingerlãt.
.27.vero domui. f.117.v.1.alijs. f.118. v.1.possint. v.
o.Scholbalch.v.30.oriẽtalium. f.124.v.23.vnum in
127.v.6.trutinatur. f.128. v.14.maxima.v.20.Hispa
iarum.f.129.v.7.Hayonem.f.130.v.4.Issulam.v.30.
ręcipuè.f.131.v.8.Lauicã.f.133.v.13.procerum.f.134.
.2.agit.v.10.exercitium.v.12.sint.v.22.satis fertilis.
136.v.22.habet.f.137.v.23.tandem.f.238.v.10.prodi
or aut desertor.v.24.præ se.f.139.v.18.curioso.f.141.
.3.& silice. v.4.& 5.elaboratam,constructam,ędifi-
atam, v.18.turricula alia.f.142. v.18.Beguinarum.f.
43.v 24.merum.f.1[illegible]4.v.2.Hæc.v.13.intusq; orn.v.
o.pietate vix.f.145.v.1.tabulatæ,abundat.f.148.v.1.
elffzyl.f.154.v.16.quos pręd ictus Agri.f.155.v.20.
sciculum.f.156.v.13.Item Grunevvecht.v.21.& Ste
erdenvvolde.v.22.Menke,id est Tice.v.28.de Dren-
.v.29.Frisia.f.159.v.20.parui.v.26 Amaso.f.160.v.
.dio pro.f.161.v.25.præsuli. v.27.laudatissimus.v.
o. euentus.f.162.v.17.cap.11.f.163.v.6.iã intus.f.167.
.2. latis. f.169.v.20.exoleta.f.171.v.24.prosperas.f.
2.v.1.sectari,sicut.v.28.nimijs. f.176.v.18.Tithma-
ani.f.182.v.18.Lauicam. f.184. v.18.siue mul[illegible]is,a-
undat.v.28.Groningensis.f.185.v.28.Huius.f.188.v.
.bombarda.v.28.voti.f.190.v.26.quendam.v.31.fa
idium pariat,itaq; ad cætera pergam.f.196.v.13.18.
.& 24.VVortimerus. f.197.v.1.Regem.f.198.v.25.
otuit. f.199.v.4. Cantia.v.21.Marcellinus. f.200.v.
.secundum dominia. f.202.v.6.accedẽtes.v.7.sint.
9.acciderunt. v.20.profectis. f.203.v.13.fuerint. f.
04.v.19.vocentur.f.205.v.9.saluo.f.207.v.17.non.
208.v.7.Lauuers.v.10.cap.17.f.210.v.22. hos Busa-
ores.f.213.v.9.esse.f.214.v.27.multũ.f.215.v.10.de-
ram.v. 11.vbiq; vbi ces.f.2[illegible]8.v.27.Ignauis.f.219.v.
.Theucteri.f.224.v.27.iurisiurãdi. f.228.v.16.littus
anebat. f.229.v.4.Danicæ.f.230.v.18.VVithone f.
2.v.3.intulerint.f.233.v.28.liquidum.f.238.v.3.cla.

…ar.f.239.v.24.comparauit.f.244.v.26.ſunt.f.253.
14.in co… …tu.f.259.v.28.reſpondente.f.262.v.2
Itaq; & f.263.v.25.… f.269.v.26.ingentis.f.270.
25.ſuſcepit.f.272.v.22.Chri…aniſmi.v.27.hic non
hil immu.f.273.v.28.nunciũ acce.f.274.v.17.VVi
rę f.275.v.6.vt ſciri.v.7.Saxonis.v.10.vicenorũ.v.1
mos erat.f.277.v 2.cœperant.f.278.v.6.reciperen
v.18.inclinauerat.f.279.v.7.recitatis.f.286.v.27.M
uium.f.288.v.15.conſiderauimus.f.291.v.21.vicin
ei lo.f.296.v.2.Et facinoris tãti.f.298.v.25.hîc.f.30
v.2.in vico.v.20.biberent.f.304.v.25.qui.f.305.v.
fecerat.f.307.v.11.Thiargrimus.f.313.v.6.quod p
ſtea.f.314.v.2.accipere.f.319.v.23.ad,abundat.f.32
v.4.æreæ.v.11.alas.f.326.v.28.deſtructo.f.333.v.1
Valachria.

